9.

NIC. CARMINII FALCONII

PRESBYTERI;

HINC EPISCOPI MARTYRANI,

TUM ARCHIEPISCOPI S. SEVERINÆ,

PROSPHONETICON

AD ERUDITOS.

ADVERSUS OPPOSITA

AD M.S. CODICEM

MONACHI EMMANUELIS,

ET AD EJUSDEM ACTA GRAECA.

QUAE IPSE VULGAVIT.

S. JANVARII

MARTYRIS

ET EPISCOPI BENEVENTI.





NEAPOLI. ANNO DOMINI M.DCC.LVIII.

APUD JOSEPHUM DE BONIS PUBLICUM TYPOGRAPHUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

ERUDITIS OMNIBUS.

NICOLAUS CARMINIUS FALCONIUS S.P.D.

CAUSA OPERIS, ET ORIGO.

INTRODUCTIO.



UM illud suapte natura commodum, tum in rebus omnibus, tum in eruditioribus, præsertim comparatum sit, & a majoribus nostris opere etiam comprobatum, ut quæ difficilia arduaque vel controversa oriuntur, inter literarios agones; ea pro bnno pacis servandæ reparandæve, plurimorum psepho, qui horum optime calleant, semoto odio affectuque omni præcipiti, candidè explanentur vel dirimantur; nil mihi jam opus est, ut fiat antiquius, quam in simili negotio, quod me Clarissimosque nonnullos adversarios meos, dudum facessere videtur; vestram solertiam,& sapientem æquamque lancem consulere: ut liberrimo vestro, quod optamus, petimus, suffragio refragiove, tandem aliquando Quæstioni huic finis reddatur: mihique & præfatis nostratibus summis viris, pax jamdiu optata restituatur. Itaque Cll. Ornatissimique viri: ne per longa exordia vos distineam, historiam, statumque causæ, humanitati vestræ, quam potero paucis expediam.

Novem abhinc annis (anno scil. 1708) summis hortatibus P. Fr. Hilarionis a S. Petro, ex discalceata Familia Redemptionis Captivorum, senis etiamnum viventis,ea virtutum fragantia, quæ Neapoli cunctis nota est, sed cœci ab annis 35., scribere orsus res gestas S. Januarii Martyris, & Episcopi; casu apud eumdem nacti sumus, veterem consumptum: & cariosum manuscriptum Græcum Codicem, quem se forte fortuna olim, & non quæsitum ab Joannis Baptistæ Massacii præsbyteri sui familiarissimi famulo, Roma accepisse dixerat; papyraceum, literis capitalibus exaratum, minio, & primis capitulorum literis auro scriptum, percurro itaque tyranculus quamquam in Græcis, lineas aliquot; videoque acta aliqua esse Beatissimi Januarii, non *Concilium Tridentinum*, ut titulus in fronte superinductæ membranæ (alterius sanè libri) latinus mentiendo eos fefellerat, qui antea ei legerant: fefellissetque ipsummet Hilarionem, si suis ea oculis cerneret; ut qui nunquam, nec modo etiam, noverit Græcas literas. Egoque Codicem domum attuli, cæptaque versione, observavi, non archetypum, sed exemplar esse, quod (In Præfat. mea S. Jan. fol. C.) Α'πέγραψεν, ὁ Γραγόριος ὁ τῶν τοῦ πατρὸς ἡμῶν Βασιλείου, ἐξ ἀρχαίου τοῦ Κωδικίου ἀρχετύπου τῶν Α'γκιλλῶν τοῦ Θεοῦ, τοῦ Α'σκητηρίου μακαρίου τοῦ Μαρκελλίνου τῆς Νεαπόλεως, ἐπὶ Καλλίστου τρίτου τοῦ Πάπα, ἔτη α. *Exscripsit* (nempe quidam) *Gregorius monachus* Sancti *Patris nostri Basilii*, *ex PERVETUSTO CODICE PRIMIGENIO Ancillarum* (a) *Dei*, *Asceterii Beati Marcellini Neapoleos*, *Callisti Papæ Tertii*, *anno*

(a) Moniales *antiquitus dicebantur*, Ancillæ Dei. *Unde est illud Monasterium vel hodie*, *Neapoli etiam*, S. Mariæ Acellaro *corruptè dictum*, *prope fores Palatii Archiepiscopalis*. Inde *origo vicini Monasterii Domnæ Reginæ Mariæ*, *uxoris Regis Caroli II. Andegavensis*, *ab anno* 1230. *circiter*.

no primo; quod est anno 1455. Minima scilicet Codicis antiquitas, ut quæ non superabat annos 253. eo anno 1708. Notitia verò *archetypi*, effecit, ut sciscitarer, si eo in Monasterio inveniretur. At verum probatum est, quod P. Antonius Caracciolus Clarissimæ Theatinæ Familiæ; Canonicusque hujus Cathedralis Carolus Celanus scripserant; jamdiù ibi expilata omnia. Quamobrem, omissa omni alia mentis in eo vagatione, secutus per me metipsum versionem, utique mihi laboriosam, utpote tyroni, ad Epitomen Scapulæ; vidi sub obscure quemdam Emmanuelem monachum Monasterii Gazarensis apud Neapolim, auctorem se testari scripturæ, seù potius Epistolæ exegeticæ, ut ad lineam ductæ e Codice, quem sibi ajebat dedisse Stephanum Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ Episcopum; Indictione octava, sub Rege Theodorico, Patricio Hypatioque Coss.; anno Christi, nempe 500. Codex ergo primigenius, ex quo exscripsit Gregorius ille, erat annorum 955. Haud miram ætatem, si non absimiles ejusdem temporis, quin & annorum mille, & ultra, multos Scaligero, Canisio, Petro Stevartio, ac Morino; Allatio, Holstenio, Rigaltio, Dacherio, Labbæo, Mabillonio, Henschenio, Papebrochio, & aliis summis viris, eruderatos ponderemus. Attamen nihilominus ego puto, eo quod in eodem Codice erat etiam narratio Incendii Vesuviani anni 685.; Codicem cum eo additamento rescriptum ab aliquo, sub initia 8. Seculi (non posterius): Ita ut Codex anno 1455. fuerit annorum circiter 750. Quod nil mirum: præsertim in Codice membranaceo.

Versione igitur adornata, duro quæcunque narrabat examini supposui; eaque probavi ita, ut mihi visum sit, ex iis consonis cum Latinis Græcisque Actis, posse me historiam scribere; ut re ipsa scripsi cum notis ejus occulti examinis, & post multos rerum anfractus reditusque; vulgatum est tandem opus, ferme post quatuor annos, mense Julio anni 1713. Quod ut primum est degustatum, multa nobis criticorum objecta peperit, quæ nostram constituunt controversiam: quæ Vobis, quorum flagito judicium, brevibus libellis, una cum Actis Græcis, & Latinis, quæ Januarii habemus, & præfatis Græci Codicis cum versione nostra communicanda censuimus.

Primum jaculum quod in nos contorserunt, qui nunquam viderunt Codicem, est, hunc esse nuperum, ab Hilarione latine,a me græce scriptum: vel a me Italice primum, hinc latine, demum græce versum: Scholarius ordo servandus erat.

Secundum telum eruditiorum, & qui viderunt, est, apocryphum esse a Gregorio, qui se exscriptorem dicit, fictum anno 1455.

Secundæ huic objectioni, ego nihil respondi, ratus quod ubi attentius, & pacato animo melius lectum esset; ex se ipsa, nubes veluti dispergeretur: Sed prima, utpote audaciori, occurri actutum; in publicum proposito Codice, apud Bibliopolam, ubi turmatim ab omnibus observatus, & unanimi sensu acclamatum est, esse opus antiquæ manus. Inter quos etiam humanissimus ac doctissimus vir Dominus Dominicus de Georgio celeberrimo P. Conrado Janningo S. J. ejus exemplar misit, descriptum, & amplissime apud eum de forma, & reliquis notabilibus MS. Codicis a se observatis testatus est. Datæ illi ab Janningo literæ ad diem 2. Aprilis 1714., apud nos sunt, quibus ille Georgio magnas de iis agit gratias: quas peto, liceat hic adscribere ex Italico idiomate, quo ille scripsit:

Illustrissime, et Doctissime Domine.

Acceperis jam per Patrem Bonannium meas, ubi primis tuis hujus anni de Sanguine Sancti Johannis Baptistæ respondi. Nunc paucis abhinc diebus alias tuas accepi, datas pridie Idus Januarias, quæ nimium in via remoratæ sunt, una cum vita græca S.Januarii, & literis eruditissimi Domini Falconis. En meam responsionem eidem. Is inter alia ad me scribit, in lucem prodiisse multos libercolos Beneventanorum, quibus ipsi prætendunt patriam prædicti S.Januarii fuisse Beneventanam Civitatem. Vellem hos libellos, ut eos conferre valeam cum his quæ præfatus Dominus in vita Sancti Januarii scripsit pro Neapolitanis. Sumptus tibi remittam per Patrem Bonannium. Illud remanet, ut tuæ Illustrissimæ Dominationi gratias agam de accurata observatione Codicis græci primarii, unde suum opus eruit Dominus Falco; & ut tuæ

tuæ gratiæ me confirmem.

Antverpiæ 4. non. Apr. 1714. Illustrissimæ tuæ Dominationis: Devotissimus, & obstrictissimus famulus: Conradus Janningus S.I. [*Jandiu misit ille libros Beneventanos*.

Cervicosiores tamen non defuere, qui rem suis oculis non perceperant, & observare, & oculatis testibus fidem præstare renuebant. Porro nec vel minimo argumento Codicem, vel quæ narrat, impetebant; Sed stabat pro ratione voluntas: Quorum pars magna fuere quidam Beneventani: quod se illis paginis, omnium clarissime causa cadere viderent.

Non eam Deputatio hujus superbi Thesauri Sancti Januarii opinionem habuit, dum per peritissimum amicum J.C. Nicolaum Amentam, Codicem illi obtuli: Quamquam, quod Interea Romam petierim, res infecta remanserit. Ita enim eruditissimus iste mihi Romam, eadem, qua Romam perveni hebdomada, scripsit.

Almodum Reverende mi Domine, et Domine observandissime.

Statim ac tua multum Reverens dominatio discessit, eodem mane, misit Deputatio Thesauri pro tuo Codice; cum de his ego (ut tibi promisi) meum nepotem, qui unus e Deputatis est, flagitaverim. Sed bibliopola respondit, illum abs te Romam adductam esse, eumque te deinceps remissum iri. De his, si quid usui tibi erit, faciam te certiorem. Perinde, honora me tuis jussis, certus me esse semperque fore; Neapoli XIII. Kal. Febr. anno 1714. Tuæ Dominationis admodum Reverentis: Devotissimus, & obstrictissimus famulus, Jurisconsultus Nicolaus Amenta.

Non eam sinistram opinionem mei habuit Reverendissimus Abbas hujus Benedictinæ Familiæ S. Severini, doctissimus P. Benedictus Laudatus: dum de eo ita mihi retulit, idem V.C. Amenta, Romæ adhuc moranti:

Admodum Reverende mi Domine, et Domine observandissime.

Accepi eruditissimas tuas, quibus doctissime his respondes, & quæ objicit P. Laudatus: quo cum, suo loco & tempore spero, me tuas partes facturum fore: Is tamen quam doctissimos labores tuos commendat in Historia gloriosi nostri Sancti Januarii, tam sordidissima tuorum adversariorum scripta vituperat. Socero Domini Constantini Grimaldi commendavi te. Neapoli V. nonas Martias 1714. Jurisc. Nicolaus Amenta.

Non eam denique opinionem de me, deque Codice habuit Reverendissimus Abbas P. D. Erasmus Gattula V.C. nobilis Cajetanus, monachus Cassinas, Protonotarius Apostolicus, & Casinatis Archivi Custos: Carissimus nempe ille eruditus Mabillonio, & Ruinartio, cæterisque VV.CCL. Congregationis S. Mauri Parisiis; dum per utriusque Juris Doctorem Marcellum Guglielmellum, Codicis a me Ecgraphum flagitavit autenticum; (a)

 ut

(a) Hic Ecgraphi missi, fuit tenor. *Libellum hunc cum vetusto Codice M. S.; antiquitatem præseferente duorum & amplius seculorum, & græcis characteribus capitalibus rubris exarato, a qua summa fide exscriptus est, contuli; optimeque invicem consentiunt; demptis Notis marginalibus ab erudito viro adjectis. Neapoli die 21. mensis Julii MDCCXIV.*
Matthæus Ægyptius J.C.

Exemplum hoc Beati Januarii Episcopi coulatum cum M. S. Codice probatæ antiquitatis, bis centum & amplius annorum, ex quo sincere exscriptum est; ad unguem convenire cum suo exemplari, exceptis notis marginalibus, optima fide ajo. Neapoli die 21. mensis Julii 1714
Marcus Mundius J.C.

Exemplar hoc è vetusto consumptoque Codice capitalibus literis scripto (antiquitatem propter scribendi rationem, Chartam. aliaque Clarissima documenta, medii ferme seculi XV. præseferente) fideliter descriptum est. Neapoli die 27. Julii mensis 1714.
Franciscus Balthasar Porcellius J. C.

Ex M. S. Codice græca ad ipsum specimen vetusto, literis majoribus rubrisque exarata, (qui nunc apud R. P. Hilarionem a Sancto Petro Familiæ excalceatorum Redemptionis Captivorum Sanctæ Mariæ de Mercede servatur) exceptis notis ad marginem a Reverendo D. Nicolao Falconia excogitatis, fideliter descripsi. Ita testor juratus: Castus Æmilius Marmi Palagi *Clericus Florentinus. Neap. a Christo nata MDCCXIV, III. nonas Augusti.*

Testifica, e faccio fede io Domenico Cavallo di Napoli, Regio, ed Apostolica Notaro, descritto nell' almo Collegio, come la sopradetta Testificazione è stata fatta, e sottoscritta di proprie, e vere mani delli sudetti Signori Andrea Matone, Matteo Egizio, Marco Mondi: Francesco Balthassar Porcelli; e Casto Emilio Marmi Palagi, *& in fidem &c. Locus ✠ signi. D. Cavallo.*

Idest: Testificor, & fidem facio Dominicus Cavallus è Neapoli, Regius, & Apostolicus Notarius, descriptus in almo Collegio, prædictam testificationem factam subscriptamque fuisse, propriis, & veris manibus præfatorum Dominorum, Andreæ Mathonis, Matthæi Ægyptii, Marci Mundii, Francisci Balthasar Porcellii, & Casti Æmilii Marmi Palagi: *Et in fidem &c. Locus signi ✠ D. Cavallus.*

ut in fuorum Archivo fervarct. Ei enim, ne dum protinus conceffi exemplar, verum etiam optime collatum, grandi charaćtere, & autenticatum, Latinum tranfmittendum curavi: quod confummato viro gratiffimum fuit.

EXISTENTIA, ET ANTIQUITAS NOSTRI CODICIS, ERUDITORUM TESTIMONIIS DEMONSTRATUR.

C A P. I.

INterim data occafione, quod peritiffimi antiquitatis viri, Græcarumque literarum docti; Codicem pertractarant, ac percucurrerant, ut collatione facta, fe ad Autentiam Ecgraphi fubfcriberent; coactus fum ab amicis rogare illos, ut ad calcem Codicis etiam, quid de ipfo fentiebant, fcripto Pofteris aperirent: & factum eft: Quamvis me indignabundo, quod hæc vis, quæ aliis non eft illata in publicatione manufcriptorum, (quibus tantum illos exhibuiffe fuffecerat) mihi inferretur. Faveruntque veritati omnes, quos confuleram, Viri Cl.; & teftimonium fuum, fub fine Actorum Codicis adjecere: Idque fub oculis, & autentia Regii Apoftolicique publici Tabellionis (feu, ut vulgo audit,Notarii):eo enim etiam ventum eft. Quæ omnia eorumque teftimonia,ad calcem Codicis; & poft Ecgraphum, hic defcribere neceffarium duco, exterorum fecuritati, & quieti confulens; quibus eum fuis oculis percipere non licet. Hæc funt immediate poft græca Codicis.

Num. 1.

Attefto io fottofcritto, che quefto manufcritto di carte ventiquattro, delle quali, cinque fono tutte bianche; è tanto confumato, ed ha tante altre offervazioni d' antichità, che fecondo il mio parere, ha potuto effere fcritto da circa due fecoli e mezzo avanti. Il perchè eziandio ftimo, che facilmente potè effere copiato dal fuo Originale nel primo anno di Papa Callifto terzo. Il fuo ftile e carattere di dire, avendo odore di Scrittore, come dicefi fequioris feculi; facilmente m' induco a credere, che così la prima volta fu fcritto da quello Emmanuele Monaco nell' ottavo anno di Teodorico Re d' Italia. Quel però, che fi legge all' ultimo (dell' incendio del Vefuvio fotto l'Imperadore Conftantino, e Benedetto fecondo Papa) è non folo d'autore diverfo, ma anche più polito; e perciò ftimo, che fu cofa di qualche eruditiffimo nel fettimo, o ottavo fecolo. Le quali cofe in fede della verità, fottofcrivo di mia propria mano. Napoli li otto Luglio 1714. Dottore in Medicina, e Filofofia, e Profeffore ordinario di lingua greca, in quefta Regia Univerfità di Napoli, &c.

Andrea Matone.

Ideft: Teftor ego fubfcriptus, hunc chartarum viginti quatuor Codicem, quarum quinque funt prorfus albæ; tam effe confumptum, totque aliis antiquitatis notis refpondere, ut mea quidem fententia quiverit fcriptus effe,duobus abhinc feculis cum dimidio: quam ob rem etiam puto facile potuiffe defcribi e fuo Autographo, anno primo Callifti Papæ tertii.Ejus ftylus,& dicendi character,cum fequioris feculi, ut ajunt, Scriptorem oleat; facile adducor, ut credam, ita primum fuiffe ab Emmanuele illo Monacho fcriptum Theodorici Regis Italiæ anno octavo. Id vero, quod in calce Codicis legitur de Vefuvii incendio, fub Imperatore Conftantino, & Benedicto Papa fecundo, non modo diverfi Autoris eft; fed etiam Politioris; eaque de caufa opinor, alicujus eruditiffimi feptimi,vel octavi feculi effe opus. Quæ omnia ad veritatis fidem, propria mea manu fubfcribo. Neapoli VIII. Idus Julias M.DCC. XIV.

Doctor Phyficus in Medicina, & Philofophia, & ordinarius græcarum literarum Profeffor in hac Regia Univerfitate Neapolis, &c.

ANDREAS MATHON.

Num. 2.

Cui fententiæ lubens meritò me fubfcribo Neapoli die XXI. Julii MDCCXIV.

MATTHÆUS ÆGYPTIUS J. C.

Num. 3.

Codicem hunc manu fuiffe exfcriptum medio fere feculo decimo quinto, probant optima vetuftatis indicia; quibus adductus judicium adjeci. Neapoli die XXI. menfis Julii 1714.

MARCUS MUNDIUS J. C.

*Num.*4.

Num. 4.

Vetus hic Codex antiquiſſimi exemplar, medio ferme XV. ſeculo exaratus facile credi poteſt. Cujus rei certiſſima antiquitatis argumenta, ſcribendi ratio, & charta id temporis redolentia, aſpectuſque ipſe apprime fidem faciunt: Neapoli die 27. menſis Julii 1714.

FRANCISCUS BALTHASAR PORCELLI J.C.

Teſtifico, e faccio fede Io Domenico Cavallo di Napoli, Regio, ed Apoſtolico Notaro, deſcritto nell' almo Collegio, come la ſopradetta teſtificazione è ſtata fatta, e ſottoſcritta di proprie mani delli ſudetti Andrea Matone, Matteo Egizio, Marco Mondi, e Franceſco Baldaſſar Porcelli, & in fidem &c.

Ideſt: Teſtificor, & in fidem facio Dominicus Cavallus è Neapoli Regius, & Apoſtolicus Notarius, deſcriptus in almo Collegio prædictam teſtificationem factam ſubſcriptamque fuiſſe, propriis, & veris manibus præfatorum Dominorum, *Andreæ Mathonis*, *Matthæi Ægyptii*, *Marci Mundii*, *Franciſci Balthaſar Porcellii*: Et in fidem &c. Locus ſigni ✝ *D. Cavallus*.

Quibus eruditis peritiſque antiquariis, hos celeberrimos alios conſulere placuit anno illo, ut in exterorum gratiam, quid de eodem ſentirent Codice, libere proferrent. Ita illi, immediate poſt præfatum Notarium, in Codice, uno ore judicium ſuum adjecerunt.

Num. 5. 6. 7.

Avendo noi ſottoſcritti oſſervato attentamente, così queſto libro, come lo ſtile della ſcrittura, e nel principio, e nel mezzo, e nella fin d'eſſa; c'uniformiamo in tutto, e per tutto al dottiſſimo giudizio, principalmente dal Signore Andrea Matone, e degli altri Letterati: e intorno all'antichità del libro, e intorno a' tempi, ne' quali ſi può credere ſcritto, cioè nel decimo quinto ſecolo. Napoli a' 3. di Luglio 1717.

Il Giureconſulto *Nicola Amenta*. *D. Giuſeppe Lucina*; *Domenico Greco*.

Faccio fede io ſottoſcritto Notaro, la ſudetta uniformazione eſſere ſtata fatta, e ſottoſcritta di proprie mani delli ſudetti Giure Conſulto Nicola Amenta, D. Giuſeppe Lucina, e Domenico Greco, in mia preſenza: ed in fede &c. Notaro Onofrio Amenta di Nap.: Locus ✝ ſigni. Amenta.

Ideſt: Cum Nos ſubſcripti, attente obſervaverimus, tum hunc librum, cum ſcripturæ ſtylum, & in principio ejus, & in medio, & in fine; amplectimur

D I V E R B I U M,

QUINAM FUERINT NOSTRI TESTES?

MATHON.

Quis ipſe fuerit, ſatis ſuo teſtimonio indicavit. Neapolitanus fuit medicus, peritiſſimus, & ex peritia fortunatus. Philoſophiam, inter Philoſophos acutiores, prodidit egregie & acutiſſime, & cauſas, & penetralia Naturæ, & artis multa abunde revelavit. Proinde, quod Græcas literas didaſcalicos omnes novit; in Concurſu, ex meritis ſuis, Cathedram, in hac Regia Univerſitate, Profeſſoris, & Magiſtri publici, Græcarum literarum, eſt aſſecutus. Optimus antiquarius obiit anno 1745., eique ei ſucceſſor datus, doctiſſimus Martyrellus.

ÆGYPTIUS.

Virum clariſſimum ſuſpicit, amatque nedum Neapolis, ubi natus; ſed & univerſa Reſpublica Literaria; tum ex aliis ejus operibus, tum ob Gemellana itinera, Europæ, & Orbis univerſi, *ab eo ſic concinnata; & vaſtæ profundæque eruditionis, ejus Opus. Hinc ob illud de* Ludis Bacchanalibus, *juſſu Imperatoris Auguſti Caroli VI. ſcriptum; & ob ipſum, hominem Torque aureo decoravit. Bibliothecarius modo (ab anno 1743.) Regiæ Bibliothecæ, a Sereniſſimo noſtro Rege Carolo III. Borbonio, in hac Urbe Neapolis, eſt Præfectus. Qui cum dignitate Tituli* Ducalis *honoravit. Is ſenio tandem, & morbis aliis confectus, mortuus eſt, anno 1746., penes Templum S. Annæ Lombardorum,* Neapoli *nuncupatum.*

MUNDIUS.

Doctiſſimus Antiquarius, eruditiſſimus Capuanus, *Juriſconſultus, & Poeta; vir moribus antiquis. Qui modo, ſuis exigentibus meritis a* Secretis *eſt, Excellentiſſimæ Civitatis noſtræ Neapolitanæ; ejus nempe Senatorum: qui adhuc vivit; & in ævum vivat, Deum precamur.*

PORCELLIUS.

Difficile eſt, Virum, in peritia chartarum antiquarum, & medii ævi, habere, vel invenire in toto Regno Neapolitano, homine iſto. Ipſe ſolus vidit, novit, legit chartas Tabulariorum antiquorum, bono magno Reipublicæ, & præſertim nobiliſſimi Parthenonis noſtræ Urbis, S. Sebaſtiani, quod perpetuis ædibus, idcirco homini munus fecit. Juriſconſultiſſimus modo eſt, a quinquennio, noſtri Sacri Conſilii (Sacri Senatus *nempe*) *ſummo jure, meritoque evectus.*

AMEN.

mur in omnibus, & per omnia, doctissimum judicium in primis Domini Andreæ Mathonis, cæterorumque eruditorum, tum quod ad antiquitatem attinent libri, quam ad tempora, in quibus scriptus credi potest; idest, decimoquinto seculo. Neapoli, 3. Nonas Julias, anno 1717.

J. C. NICOLAUS AMENTA.
DOMNUS JOSEPH LUCINA.
DOMINICUS GRÆCUS.

Fidem facio ego subscriptus Notarius, prædictam uniformationem factam subscriptamque fuisse propriis manibus prædictorum Juris Consulti Nicolai Amenta, Domni Josephi Lucinæ, & Dominici Græci coram me: & in fidem &c.: Notarius Onuphrius Amenta è Neap. Locus † signi, Amenta.

Num. 8.

Capitales literæ, quibus Codex hic inscribitur, vetustiorem ætatem redolent: ut ipse prolixè observavi in Codice quodam Cœnobii Rossanensis, hac eadem ratione exarato. At Charta, & verba aptius distincta; ad decimumquintum Seculum revocandam esse ejusdem vetustatem, abundè probant. Hoc viri docti sentiunt: Quibus ego lubens adhæreo. E nostro Collegio S.Mariæ in Porticu, Neapoli XXII. Februarii MDCCXIX.

SEBASTIANUS PAULI LUCENSIS *Congregationis Matris Dei*.

Num. 9.

Per quella poca pratica, che io mi truovo avere de' Caratteri antichi, per qualche Archivio, da me veduto; parmi, ch' il Carattere del presente libro, non sia più antico del decimo quarto, o decimo quinto Secolo almeno, e non di Secolo più basso. Questo è il mio debole parere, essendo di ciò richiesto: ed in fede.

Dal Collegio di S. Maria in Portico, questo dì 23. Febbrajo 1719.

Alessandro Pompeo Berti, Luccheſe della Congregazione della Madre di Dio.

Idest; Pro modica Praxi, quam antiquo-

AMENTA, ET SOCII: LUCINA, ET GRÆCUS.

Eruditissimus hic Jurisconsultus, celeberrimus ob Italicas Comœdias, *ob* Parnassiana *sua; ob doctissimos libros de Lingua Italica, & magni habita* Commentaria, *ad opera P.Danielis Bartoli*, Dritto, & Torto *nuncupata, & de* Grammatica Hetrusca, *tractantia: ob qua gratissimus fuit celeberrimæ Academiæ Florentinæ: Summum sui desiderium vir amicissimus (& athletice olim a me ab detractoribus suis defensus, typis nostratibus) tandem reliquit, mortuus in Patria, anno 1730.*

Joseph Lucina, *emunctæ naris Criticus, nobilis eruditus, & Patria Neapolitanus; gravis ætate, & sanctis moribus, domi suæ mortuus est, eodem anno, quo Amenta.*

Dominicus Græcus *Jurisconsultus, qui summa Legum, & Antiquitatis peritia iniquum Forum, in Patrociniis suis habuit, ignoro quo anno in hac sua Patria, post prædictos obiérit, ante vel post annum 1730.*

SEBASTIANUS PAULI, ET POMPEJUS BERTI,

Nobilis Lucensis, eruditissimus Orator sacer, bis apud Cæsarem, *summo plausu*, Concionator *vocatus, accersitus; dudum defunctus est, clarissimus ob multa, & varia ejus opera, in sua Congregatione Matris Dei; cujus fuit ornamentum, & magna gloria.*

Pompejus Bertius, item nobilis Lucensis, vir undequaque modestissimus, æquus ac eruditissimus; & cujus laudes ab Antiquitate (ut viri Religiosi, in quo copulabantur, singularis eruditio, & humanitas*) in* Diario eruditorum Italiæ *(tom. 37. pag. 212.) habentur, ad Inscriptionem Histoniensem*, L. Valerii Pudentis, *pueri annorum tredecim, in Ludis Capitolinis, inter latinos Poetas, publice coronati, anno Christi 86. Hoc aliud Congregationis Matris Dei, ornamentum, nescimus, quo anno defunctus sit.*

RICCIUS.

Ex Tercularibus, oppido in Lucania, in quo natus, Clericus Regularis minor: inter cætera, vir in utraque pagina; quod ad Antiquitatem præcipue, peritissimus, alterque velut, Petronius Cæsalpinus, nostrum Codicem pertractavit, & hinc et, cum aliis subscripsit; ut supra visum est luculenter. Quo anno vir optimus obierit, ignoramus.

ANTONINIUS.

In Petelia Metropoli Lucanorum, *quæ modo* Cuccarus *mihi est oppidum (diversa a Petilia Brutiorum in Calabria ulteriori, quæ jamdiu excisa ab Hannone Duce Annibalis, ut Livius habet; & idcirco* Marcænusa *dicta est) noster Josephus Antoninius natus est, Baro oppiduli Sancti Blasii, apud eundem agrum; ex nobilibus & copiosis parentibus, ac proinde liberaliter educatus. Neapoli Juri, & politioribus literis, operam summam dedit: in quibus adeo enituit, ut a Serenissimis nostris Regibus sit admotus sua Provinciæ Materensium in Lucania: in qua Auditoris dignitatem & pondus, cum magna laude integritatis & Justitiæ sustinuit. Post triennium, Forensium tricarum tædio, & quie-*

tiquorum characterum, in aliquo Archivo a me observatorum, habeo; præsens liber, antiquior esse decimo quarto, vel decimo quinto seculo non videtur; neque temporis sequioris. Infirma mea hæc est sententia; de qua rogatus, pronuntio. Et in fidem.

Ex Collegio S. Mariæ in Porticu, hac die 23. Februarii, 1719.

ALEXANDER POMPEJUS BERTI LUCENSIS *Congregationis Matris Dei.*

Certifico, & attesto io Giuseppe Empoti di Napoli, publico Apostolico, e Regio Notaro, come le retroscritte testificazioni sono state fatte, scritte, e sottoscritte, respettivamente, dalli retroscritti medesimi Rev. P. Sebastiano Paoli, e P. Alessandro Berti, Lucchesi, della Congregazione della Madre di Dio, al presente sistentino di famiglia, e stanza in S. Maria in Portico, di detta Congregazione, nel borgo di Chiaja di questa

Città

& quietis desiderio, sponte dimisit onus, ac Neapoli iteram se continuit, sibi, & musis apprime deditus: Tuncque primum in sacro illo otio, & statu celibi, typis, de situ Lucaniæ, Excursus, *seu Dissertationes* novem, *publicis juris fecit: eruditissime vem Patriam ejusque Antiquitotes disquerendo. Exinde itaque a me rogatus, de sua sententia ad manuscriptum* Codicem *nostrum* Emmanuelis; *pro veritate, post alios subscribere est dignatus: at supra visum. Vivit adhuc doctissimus Jurisconsultus, eruditissimus Antiquarius: sed qui cum senio, & morbis aliis colluctatur. Det illi Deus Nestoream vitam, Republicæ Literariæ summo bono; at & secundam partem, suæ Lucaniæ finiat illustrare.*

MAJELLVS.

Clarissimus Carolus Majellus, Neapolitanus, ex Canonico Cathedralis, Crucifer Apostolicus, hinc Canonicus Sancti Petri in Vaticano, postmodam Primus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus; quæ omnia ab æternæ memoriæ Clemente PP. XI., optimo ingeniorum æstimatori assecutus est. A Benedicto Papa XIII. a Secretis Brevium Apostolicorum Latinorum ad Principes, & Archiepiscopos, Emesenos; ac demum a Clemente PP. XII., in eodem munere confirmatus. Tanta ejus est Claritas, tum ab aliis, & a sanctis moribus, tum ab extrema peritia in linguis Hebraica, Syriaca, Chaldaica, Coptica, Græca, & Latina, præter vernaculas eruditas; a divino, humanoque Jure: ab Historia Ecclesiastica, & Prophana, ac præcipue a versatione, & peritia tot Codicum antiquorum, omnium linguarum, qui in Vaticana Bibliotheca servantur, cui tam digne præfuit: Is ita rogatus a nobis suam etiam nostro Codici sententiam, ingenuissime, cum præfatis eruditis, breviter ascripsit.

BORTHONIVS.

Johannes Borthonius, ex oppido Lauri, in Nolana Diœcesi, Causarum Patronum, primum egit in Foro Ecclesiastico; hinc venit Romam, amoremque meruit quatuor Pontificum Romanorum, Clementis XI., Innocentii XIII., Benedicti XIII. & Clementis XII., ob servitia præstita sanctæ sedi; qui eum in sua Palatina Familia cooptarunt, & firmiter in ea retinuerunt. Eum Clemens XI., Canonicatu S. Mariæ in via lata, & secreta sua Bibliotheca præposuit. Innocentio XIII. fuit carissimus, qui eum suo Pontificio addixit Syrmati, seaque pariter secreta præfecit Bibliotheca. Benedictus XIII. Referendarium utriusque Signaturæ creavit: hinc Priorem S. Mariæ in via lata, ac denique Episcopum Liddensem in partibus Palestinæ: quæ alius Diospolis, seu Georgiopolis dicta est. Immatura mors, ex balneis Pythecusanis redeuntem, post longum morbum, Neapoli eripuit, virum doctissimum, & rebus agendis natum, Reipublicæ literariæ, anno 1729. Peritissimus ipse Antiquarius, post longe lateque versatum Codicem, sic, ut supra, ipse subscripsit.

FONTANINIUS.

Celeberrimus Julius Fontaninius, Forojuliensis in Histria, ex Præfecto Bibliothecæ, Eminentissimi, & Reverendissimi Josephi Renati Cardinalis Imperialis, suopte Literarum, Literatorumque omnium acerrimi Mæcenatis. A Clemente XI. in sua Palatina Familia ascitus, munere a secretis Cubiculis, est adscriptus. A Benedicto XIII. S. Mariæ Majoris Basilicæ Canonicatu ornatus est; & hinc creatus Archiepiscopus Amasenus est; cum officio Abreviatoris in Curia, *nuncupatos. Qua in dignitate, optimos noster Princeps, Clemens Papa XII., eum detinet. Quam Respublica debeat summo viro, quam sit peritus in Sacra, Prophanaque Antiquitate, quam in doctrinis omnibus versatissimus; constat, ex innumeris libris, quibus non divitias, sed opes omnes in Rempublicam effudit: Ut ex ejus Apologia pro Clarissimo, & maerito Mabillonio* De re Diplomatica. *Is autem a me rogatus, de suo ad nostrum Codicem judicio, id quod sensit, ingenue subscripsit, ut supra visum. Jamdiu vitam clausit, eruditissimus noster senex.*

PTOLEMÆUS.

Nobilissimus Ptolemæus, Civis Pistoriensis, & e Societate Jesu Professus, Philosophus, & Theologus acutissimus (cujus vita innocentissima, & verissime Christiana, sed non tristis, utinam aliquando in publicum prodeat! auctore clarissimo Muratorio, qui Reipublicæ Christianæ, vivens promisit. Ejus causa modo agitur, in Sacra Rituum Congregatione, *ut eum primo* Venerabilem, *& postmodam Beatis possit adscribere, post 23. alios e sua Gente, & Familia, de quibus late egimus in Nuncupatoria ad eum, nostra epistola, ad tres ultimos Dionis libros, quos Romæ edidimus, anno 1724. Tantus Heros Societatis, etiam nostro subscripsit Codici: Demum obiit sub Benedicto PP. XIII.*

Città di Napoli: ed in fede richiesto hò signato ✝ Locus signi; G. E.

Ideſt: Fidem facio, & teſtor ego, Joſeph Empoli de Neapoli, publicus Apoſtolicus, & Regius Notarius, ſupraſcriptas Atteſtationes, prædictorum; factas, ſcriptas fuiſſe, & ſubſcriptas reſpective ab admodum Reverendis, P. Sebaſtiano Pauli, & P. Alexandro Pompejo Berti, Lucenſibus, e Congregatione S. Matris Dei, nunc commorantibus in Familia, & habitantibus, in S. Maria in Porticu, dictæ Congregationis, in ſuburbio Plagiæ, hujus civitatis Neapolis. Et in fidem rogatus, ſignavi. Locus ſigni ✝ J. E.

Num. 10.

Præſentem libellum græco exaratum charactere, ex Chartæ antiquitate, & literarum forma, medio decimo quinto ſeculo, ſcriptum fuiſſe arbitror. Hinc Clariſſimorum virorum atteſtantium judicio, me ſubſcribo. Neapoli Kalendis Martii MDCCXIX.

J. C. JOSEPHUS ANTONINI LUCANUS, *in Materanenſium Audientia Regius Auditor*.

Num. 11.

Obſervatis attentè, tùm foliis tùm Characteribus hujus Codicis, libenter ſubſcribo prædictis Eruditorum judiciis: hoc ſcilicet volumen, Calliſti III. Pontificis, ideſt dimidium XV. Seculi æræ Chriſtianæ redolere: & ità exprimo, ex mea Sanctæ Mariæ Majoris reſidentia, hac die VII. Martii MDCCXIX.

DOMINICUS MARIA RICCIUS, *Clerici Regularis minorum, e Torcularibus, Lucaniæ Oppido*.

Atteſto io Anello Capaſſo di Napoli, publico Apoſtolico, e Regio Notaro, come le ſudette atteſtazioni ſono ſtate fatte, ſcritte, e ſottoſcritte di propria mano dalli ſudetti Dottor Giuſeppe Antonini, e P. Domenico Ricci; ed in fede richieſto hò ſottoſcritto. ✝ Locus ſigni: A.

Ideſt: Teſtor ego Agnellus Capaſſo de Neapoli, publicus Apoſtolicus, & Regius Notarius, ſubſcriptas Atteſtationes, factas fuiſſe, ſcriptas, & ſubſcriptas, a prædictis, J. Conſulto Joſepho Antonini, & P. Dominico Riccio, manu propria. Et in fidem, rogatus ſubſcripſi. Locus ſigni. ✝ A.

Num. 12.

De Græci hujus mſ. Codicis ætate, nihil eſt, quod me recedere cogat à Sententia Doctorum virorum, qui medio decimi quinti Chriſtiani nominis ſeculo, deſcriptum putant.

Romæ IV. Kalend. Maii MDCCXXI.

CAROLUS MAJELLUS.

Num. 13.

Id ipſum de hoc Codice mihi videtur, quod Cll. viris placuit, & ſuperiùs notatum eſt. Ex Ædibus Quirinalibus, Kalendis Auguſti 1721.

JOHANNES BORTHONIUS.

Num. 14.

Codex Chartaceus, Græcè ſcriptus, de Vita S. Januarii Martyris, à me conſpectus, deque eo judicia Doctorum Virorum perlecta ſunt: Quibus undequaque ſubſcribo, ratus ex Charta, & ex Calligraphia, referendum ad initia Seculi XV. Datum Romæ ex Muſæo noſtro, VII. Octobris A. D. 1721.

JULIUS FONTANINUS *manu propria*.

Extremam tabulæ manum imponet, Clariſſimæ ſanctæq. memoriæ Card. Ampliſſimus Ptolemæus, qui audito de mea Hiſtoria S. Januarii, eaque lecta, voluit, & Codicem obſervare. Allatum à me illicò: diu verſat, & admiratur quomodo ipſum, præcipue legerim in principio, ubi magis literæ diffugiunt. Me complectitur tamquam pater, qui & pauperum erat pater, ac ubi poſt menſes aliquot, mihi ejus teſtimonio prò re quapiam opus fuit, ita ampliſſimum mihi dedit, ut niſi urgeret neceſſitas, quod in eo de Codicis antiquitate teſtatur maxime, haud inducerem in animum de edendo. Do igitur hæc coactus, ut tamquam Sigillo Aureo, Codicis antiquitate, tanto viro, erudito, docto, ingenuo, peritiſſimo antiquitatis teſtante obſignem.

Num. 15.

Johannes Baptiſta tituli S. Stephani in monte Coelio S.R.E. presbyter Card. Ptolemæus. quibuslibet hæ noſtræ exhibitæ fuerint atteſtamur, R.D. Nicolaum Carminium Falconem, utriuſq. Juris, & Sacræ Theologiæ doctorem, & Protonotarium Apoſtolicum; Conſultationibus prævìis, quas ad cauſas in Sacris Congregationibus, præſertim Concilii, & Sacrorum Rituum decidendis, in noſtris habere ſolemus Ædibus;

bus; diu singulari studio interfuisse, præclarumque doctrinæ, ingenii, virtutis, ac indolis verè Ecclesiasticæ specimen exhibuisse. Inter cætera vero, cum B. Januarii Martyris, & Episcopi acta quædam, ex antiquo Græco manuscripto Codice, quem nostris manibus pertractavimus; & cum tres postremos Cassii Dionis libros, labore magno, Græcolatine (quod luculenter novit) ex Vaticano Codice integrius aliis nuper publici juris fecerit: Quibus aliisque operibus, se Virum in politiori literatura abunde versatum prodidit, & quod ad Concilia, & Sanctos Patres, Ecclesiasticam, & prophanam Historiam, atque eruditionem spectat, maximè consummatum: ac proinde hic, & alibi, Clarissimorum Virorum consuetudine semper usum. Nos propterea, cum nostra apud omnes commendatione dignissimum censentes, hujusmodi literas manu nostra subscriptas, nostroque Sigillo munitas dedimus, Romæ, ex Ædibus nostris die 17. Augusti 1725.

Locus ✠ Sigilli.

J. B. CARD. PTOLEMÆUS.

Johannes Sanctorius Secretarius.

Tandem vir doctus, & eruditus *D. Jacobus Grazinius* (*Benium* infra, eum suo nomine, quo vult, appellabimus) qui Neapoli eodem tempore in meam historiam acuebat stylum; observato, pro voto suo, manuscripto, qua ingenuitate præditus est, non potuit (quid amplius requirat invidia?) non scribere pro antiquitate Codicis; licet ad arma eruditorum recursu facto, dixerit Acta ista, apocrypha, & conficta ab eo, qui se descripsisse pronunciavit anno 1455. sive Gregorius vere ille monachus fuerit, Clarissimæ familiæ Basilianæ; sive alius quispiam, qui ejus se nomine venditarit. Quin palam omnibus testatus est, me; quamquam magnifaceret, (ea viri gratia) nec tam doctum; nec idoneum tantis ausibus esse. Qua de re, ejus candori gratias ago, cujus opus largius inferius afferemus.

Poterant hæc suffecisse viro cuilibet, etiam morosiori: attamen non suffecere cuidam Castorio (infra quis ipse fuerit innotescet) dum requirebat etiam, ut vel Codex Emmanuelis esset autographus, ut fidem mereret; vel ut autographum Codicem nostrum (Epist. 1. fol. B. 1. à tergo) a Gregorio illo exscriptore, manu publici Notarii anno 1455. autenticari fecisset, sub testimonio peritorum, qui codicem cum originali contulissent.

Quod ad primum ridit; illud Cl: Mabillonius, in de re Diplomatica, etiam in diplomatibus, quæ rem historicam non continebant, sed bona, & possessiones; suntque ecgrapha, ut noster Codex: *Verum autographa* (inquit fol. 237.) *non sunt hæc Instrumenta. An verò autographa erant scripta Scripturæ, quibus res una omnium præpotentissima, nostræ Religionis dogmata, & Salutis æternæ arcana continentur? An autographa sunt Sanctorum scripta, quæ tantam apud omnes autoritatem, & merita quidem obtinent? Denique an autographæ sunt leges Codicis Theodosiani, aut Justinianæi, quibus tanta in Foro observantia impenditur?*

Addo ego quid amplius; Num autographæ sunt leges Pontificum 10. & 11. Seculi; atque nostrorum Regum per ipsummet seculum 12. & autographa querimus Seculi quinti, ut credamus: cum vicinioribus etiam, uti iis Sancti Bernardi, destituamur? Quod ad Secundum attinet: contulissent, curatum fuisset: eamque autentiam, ut nunc probaret, recognosci deberet: nil inde exsculpas. Quod adeo verum est, ut idem ille eruditus alibi postea (epistola 2. fol. 6.) de sui effati insubsistentia edoctus ab amicis, *nugarum* nomine ingenue, id retractarit his verbis: *Ma qui odo replicarmisi per porte del Signor Falcone, che altri requisiti si richieggono nella deposizione di un testimonio nel foro contenzioso, e specialmente nelle materie criminali; altre si richieggono nelle asserzioni de' Storici nelle Storie: Nelle prime si tratta di assolvere; ò condannare un reo. Quindi probationes debent esse clariores luce meridiana, ex communi DD. calculo: Nelle seconde non si tratta ò di vita, ò di sostanza dell' uomo. Laonde il voler nelle storie tante finezze di prove, son* baje, *sono* sciocchezze, *Dice bene, e non può dir meglio chi guarentisce il Signor Falcone. Se però la Cronoca greca di Mannello fosse a favor di Benevento, e fosse stata data fuor da qualche Beneventano; in tal caso non la venerarebbe il Signor Falcone, ma la sprezzarebbe;*

ma la proverbiarebbe. E pure hora la vuole venerata, perche data in luce da se; e la vuole quasi adorata, con adorazione di Dulia, o Hiperdulie.

Ideſt: *Sed hic audio pro Domino Falconio, mihi reponi; Alia requiſita eſſe neceſſaria in depoſitionibus alicujus teſtis in Foro contentioſo, & præcipue in materiis criminalibus; alia verò in hiſtoricorum aſſertionibus in hiſtoriis. In primis; de abſolvendo, aut condemnando reo agitur; hinc probationes debent eſſe, clariores luce meridiana; ex communi Doctorum calculo. In ſecundis non agitur, aut de vita, aut de ſubſtantiis hominis. Quamobrem in hiſtoriis velle ſubtilia probationum;* ſunt nugæ, ſunt ſtultitiæ. *Probe dicit, nec melius dicere poteſt, qui Dominum Falconium tuetur. Aſt ſi Emmanuelis Chronicon, faveret Beneventanis, vel ſi a Beneventano aliquo publici juris factum eſſet; in eo caſu, Dominus Falconius, illud non veneraretur, ſed ſperneret, & ludibriis oneraret. Et tamen hodie, vult ſuum Chronicon veneratum, eo quod ab ipſo datum in lucem eſt; & vult illud quaſi adoratum cum dulia, & hyperdulia.*

Probe, recteque iſta Caſtorius. Falconius equidem, æquo examini ſubjeciſſet, & longe a forenſibus tendiculis, ſe geſſiſſet; quomodo ingenue, & liberè alibi, in Præfatione ad tertium librum ſuæ Hiſtoriæ & Vitæ S. Januarii (fol. 240.) cum ipſo Emmanuelis Græco ſtylo, & idiomate, noſcitur ſe geſſiſſe: quod nemo alius adhuc egit. Verba mea vernacula do Latinè: *Quod ad dialectum* Emmanuelis *attinet; ſcripſit ipſe Dialecto communi, ſed vere communi & ſimplici. Ejus ſtylus, ita interdum diſplicet, ut ſatius ſiderem nigerrimo ſudare, & quid inquirendo, non invenire; quam duas ejus periodos percurrere. Scriptio illa truncatim facta, & ſine glutine aliquo: præcedentibus. ea ſequi aliquoties ſtolide, quæ Magiſter Simeon* (in fabula Buccatii) *non cogitaret; ſunt res, quæ una poſitæ, mihi cauſant febris quartanæ trepidationem. Et tamen poſſet eum aliquis excuſare, dicens; eum forſitan non mentem habuiſſe componendi, ſed ponendi caſu, quæ ei, ex ætatis ordine, notabiliora, in animum veniebant.* Quis hæc liberius dixit in noſtrum Emmanuelem? Hæccine *Dulia*, & *Hyperdulia* eſt, Emmanuelis, & noſtri Codicis? Attamen a me ita factum legunt, qui mea legunt; etiam Beneventani. Ad quos modo me verto, & inquam: Si Beneventanus Græce noſſet, & gereret ſe ingenue; edidiſſet, ſibi contrarium Emmanuelem. Caſtorius autem Græce fortaſſe novit, qui *Duliam*, & *Hyperduliam* nominavit.

Nempe ideſt, venimus jam ad forum, ut agatur de Privilegio, vel Inſtrumento civili, aut de Contractibus, Teſtamento, vel Donationibus; probando, recognoſcendove apud Judicem. Sanè verò qui hæc eruditus dixit, nullos, (quod non opinor) viderat manuſcriptos antiquos Codices, qui teſtibus, & autentia omnes deſtituuntur. Quid enim illud eſt? Si quis ſuo uſui ſcribebat Codicem; num ille, ut apud poſteros ea Scriptura probaret, quaſi præſcius illam in poſterum producendam in Forum contentioſum; actutum rogato Notario, & teſtibus, poſtulabat, ut ſuum teſtimonium illi & autentiam adjicerent! Id majores noſtri numquam fecere; ita Gregorius non fecit. Ipſemet eruditus noſter Caſtorius, ſi acta aliqua e vetuſtis Codicibus, celeberrimæ Beneventanæ (verbi gratia) Bibliothecæ, in ſuum uſum deſcribat; vel ſi aliud quidpiam ſcribat ipſe; ignoro ego num conductum habeat Notarium, qui cunctas ejus Schedas autenticet? At nos in re antiquaria ſumus, & hiſtorica, in qua Codices manuſcripti, ſine his adminiculis; à peritis tantum probantur, non à Judice apud Forum; ni forte Judex ipſe peritus ſit, eoque nomine in cauſa producti Codicis, de ejuſdem antiquitate judicium ferat. Hinc præclarè ubi ſupra Mabillonius de antiquis ecgraphis illis, Inſtrumentiſque, quæ à publicis Notariis non ſunt approbata, ait: *Si res æquis animis expendatur, non poteſt eſſe in Foro.*

GRE-

GREGORII EXSCRIPTORIS NOMEN, ET FAMA: UT IMPOSTORIS; A SEXCENTIS ABSURDIS, LIBERATUR.

C A P. II.

Codicis exiſtentia, & antiquitate probata; de iis nunc narrandum ducimus, qui commentum Gregorii exſcriptoris putant: Hi eruditi quidam Cives Neapolitani fuere, quorum unus etiam typis id convincere eſt conatus. Qua in re ego quidem gaudeo; illudque generoſi Fabricii exultabundus uſurpo: *A Cive me ſpoliari malle, quam ab hoſte venire.*

Cæterum hac in re, ut ego Viri Clariſſimi vos abducam à teſtibus, atque ab hujus judicii vanitate, quod nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari: Quod facillimè effingi, nullo negotio flecti, nec detorqueri poteſt. Argumentis agemus: Signis omni luce clarioribus, crimina refellemus. Res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione pugnabit:

Atque interim, qui Gregorium impoſtorem volunt, liceat interrogare: Quid fuit cauſæ, cur ad quintum Seculum ceſſarit nobis imponere? *Ad auctoritatem*, dicent, *conciliandam*. At quid melius, ſi ea mente agebatur, quam Emmanuelem martyrio adſuiſſe fingere? uti impoſtores multos ſub ficto nomine, quædam ſcripſiſſe Acta, eruditi cognoſcunt. *Ut narraret*, repetent, *etiam ſubſequentia*. At ſi ita factum, cum proceſſiſſet ad ſextum Seculum, magis inutile; cum ad ſeptimum, magis ingratum, ſibi ſuoque genio videri ſic potuiſſet. *Ita placuit homini*. Si ergo tot adminicula veriſſima, tot Conſulum, Indictionum, rerum domi foriſque concinna ratio; ubi fere ſemper impingit ad Syrtes apocryphorum falſitas; Accurata illa Epiſcoporum Neapolitanorum ſeries aliundè probatiſſima; ei non poteſt denegari juſta fides: maximè ſi vetuſta ſint, & longe ante primam Controverſiæ, de qua agitur, originem ſint deſcripta. Si exemplaribus Inſtrumentorum antiquis tantum defert Mabillonius, quantum credimus exemplaribus Hiſtoricis, Omnem fidem vult illis, qui bene ſtent? Cæteroqui ipſemet paulo ſuperius probavi: eaque ante controverſis originem illa deſcripta vidi. Nonne Codex noſtri Gregorii anno 1455. deprehenſus eſt deſcriptus; ante controverſiæ noſtræ originem de Patria S.Januarii (quamobrem flagellat noſtrum Codicem unice Caſtorius) annis fermè 150.& amplius; credendum eſt ergo illi, & Gregorio; qui ὁ ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς ἡμῶν Βασιλεί, *monachus, ex Familia Patris noſtri Baſilii*, ſe dicit; neſcitur, monachus, ne, an hieromonachus fuerit. Sed quod uſui fuit habitus, *exſcribendis* his actis, ex illo *Ancillarum Dei Aſceterio S.Marcellini Neapolcos, Codice membranacco antiquiſſimo* (fortè quod hic ſatiſceret) *monachum* potius crediderim *gregalem*, quam *hieromonachum*, & *ſacrum*; Romanum tamen *Cryptæ Ferratæ*: ex eo quod, Pontificis annos citet non annos Regis Neapolitani, qui tunc rerum potiebatur. Inerudito Seculo decimoquinto, unde tot præſto erant Gregorio, & monacho, & Græco? Qui fortaſſe unus ex iis fuit, qui cum Beſſarione ad Concilium Florentinum veniſſent.

Porrò Joannes Antonius Summontius an. 1600. primus omnium notitiam habuit Chronici Epiſcoporum noſtrorum, à Joanne Diacono nono Seculo ſcripti: ex originali Bibliothecæ Vaticanæ Codice: Hinc exemplar habitum à Julio Cæſare Capacio, Cæſare Engenio, Camillo Tutinio, Antonio Caracciolo, Camillo Peregrinio, Bartholomæo Chioccarello: qui an. 1643. de Epiſcopis, & Archiepiſcopis noſtris ſcripſit. At nunquid, ſi Gregorius Diaconum in manibus habuiſſet, num in temporibus S. Januarii, & poſterioribus uſque ad annum 500. ſecurus fuiſſet, ne unquam cum eo præcipitanter ſe ageret? Certe ſub Conſtantino omnes noſtros Epiſcopos ei non ſuppeditaſſet, quorumque piures intervertit, vel omittit. Inter cætera, omittit, quæ habemus de Zoſimo Ariano Epiſcopo, Neapoli ante Ariminenſe Concilium conſtituto; Quæ debemus Marcellino, & Fauſtino Synchronis, de Schiſmate Damaſi, & Urſicini ad Valentinianum, & alios; quorum libellum à Baronio primum e Biblioteca Uaticana eruderatum, publici tandem juris fecit anno 1650. V. C. Sirmundus. Ea verò narrat Emmanuel, ſive ſcribit Gregorius 1455. Unde ergo co-

co anno 1455. duobus ante feculis, hæc habuiffet ille? & unde etiam inconcuffam illam, & indubitatis documentis probatam annorum feriem temporum, quibus noftri Epifcopi federunt? Quæ ufque ad feptimum Seculum ab Joanne Diacono, heù quam male funt collocata?

Verum miffa ifta veluti faciamus: Quid jucundius, aut ludicrius erit, quam credere Græcum monachum, vel Latinum, an. 1455. aptè fcripfiffe, appellaffe *Confularem*, Rectorem *Campaniæ*? qui in Actis latinis ubique, *Præfes*, generali nomine audiebat: Itemque in Græcis, ubi nunc Ε῎παρχος, nunc Ἡγεμών, nunc Ἄρχων; ut apud præfatum Johannem Diaconum, in Sancti Sofii, & Januarii martyrio (quod nondum etiam Surius vulgarat, nifi poft Seculum ab eo, & dimidium) ubi vel *Judex Campaniæ*, vel *Cenfor*, vel *Arbiter*, vel *Præfes*, vel *Conful* appellabatur? Nondum fane prodierant Andreæ Alciati, vel Guidonis Panciroli *Notitiæ Imperii*, nec Onuphrius, Appianus, Aldus, Gruterus, aliique; Infcriptiones Orbis, publice juris fecerant. Porrò, fi quæ infcriptio proftabat Gregorii tempore, *Conf. Campaniæ* exhibebat: unde prodiit Diaconi error, eùm *Confulem* nominandi. Sunt, fateor, quædam quæ *Confularem* extenfe habent, fed illæ nuper effoffæ: ut una apud nos an: 1712. Nec mihi ullatenus fit credibile, monachum decimiquinti Seculi, Civilium legum fuiffe anxium, vel curiofum, qui Codices Teodofii, vel Juftiniani, (de quorum primo, forfan nequidem notitiam habebat,) pervoluto, in defcriptionibus quarumdam legum oculos admoverit; & in iis quandoque *Confularem Campaniæ* dici per extenfum didicerit, adnotarit; fuumque in ufum inde verterit, illumque rectè græcè Ὑπατικὸν appellando.

Præterea, quid eft rifu ipfo ridiculofius, quam putare Græcum monachum anno 1455. voluiffe, noviffe appingere, recteque excogitare prænomina, nomina, cognomina hominibus tertii, quartique Seculi? Qui hanc antiquorum fub Imperio confuetudinem, tam nofceret, quam lyram afinus. Hæc tamen ille fcribit. Sanè verò apud Eruditos omnes eft in confeffo; In cunctis ferè antiquioribus, fincerioribus, verioribus, proconfularibus Actis martyrum, aut quæ fynchroni fub perfecutionibus fcripfere, hæc antiquitatis veftigia obfervari. Mittamus primo Seculo fcripta Canonica, & Evangeliftas, ex quibus habemus *Pontium Pilatium*, *Sergium Paulum*, *Claudium Lyfiam*, *Porcium Feftum*: Mittamus martyres fub primo Flavio Domitiano *M. Acilium Glabrionem* Confulem anno 86. *T. Flavium Clementem* Confulem anno 95., & *Flaviam Domitillam* ejus neptem fub *Memmio* (five *Minucio*) *Rufo*; & ad fecundum Seculum accedamus. Sacrum illud totius antiquitatis Cimelium, Epiftola Ecclefiæ Smyrnenfis anno 166. de martyrio S. Polycarpi Epifcopi Smyrnarum; fcripta Ecclefiæ Philadelphiæ, & aliis ubique Ecclefiis; nobis exhibet Germanicum, & Polycarpum paffos *fub Pont:* Philippo Tralliano, *& Proconfule Statio Quadrato*. Epiftola Ecclefiarum Viennenfis; & Lugdunenfis, *Fratribus per Afiam, & Phrygiam conftitutis*, anno 170. narrat martyrium (cum aliis) confummaffe *Vectium Epagathum* nobilem Lugdunenfem: apud Eufebium Hift. Eccl. lib. 5. cap. 19. Valef. In Epiftola S. Serapionis Epifcopi Antiocheni ad Caricum, & Ponticum in Cantaphrygas, habemus verba illa: *Beatiffimi Patris* Claudii Apollinaris, *qui Hierapolitanæ Urbis in Afia Epifcopus fuit, literas ad vos mifi*. Cui Epiftolæ una cum Serapione, inter cæteros fubfcribunt in hunc modum, Aurelius Cyrenius (vel Quirinus) teftis, *opto vos bene valere*: Ælius Publius Julius, *Coloniæ Thraciæ Epifcopus, teftor Deum*. Et hæc fub Commodo, qui ab anno 180. ad 193. imperavit. *Q. Septimius Florens Tertullianus* æqualis, Proconfulem Africæ (quem martyrum Scillitanorum acta; Procos. *Saturninum* dicunt) anno 200. circiter, *Vigellium Saturninum* dictum fuiffe prodit; libro adverfus Scapulam cap. 3. Quo libro prodit alios, *Arrium Antoninum Proc. Afiæ*, hinc Imp., & *P. Cincium Florentem*, & *Vefpronium Candidum* Africæ Procos. Paffio Sanctarum Martyrum Perpetuæ, & Sociarum. Carthagine anno circiter 203. *Vibiam Perpetuam* eam dicit, captam *fub Minucio Timiniano Africæ Proconfule*. S. Clemens Alexandrinus Presbyter, per ea tempora, ab Eufebio Cæfarienfi (lib. 6. Hift.

Hiſt.Eccl. c.13.) indigitatur dictus *T.Flavius Clemens* : Origenes ; *Adamantius Origenes* cap. 14. Chriſtianos tunc item novimus ex Octavio, *M. Minucium Felicem*, *Octavium Jannarium*, *Cæcilium. Natalem* : uti ex Menologio prid. Kal. Febr., *Ulpium Romulum* Præfectum Urbi feciſſe Martyrem S. Hyppolitum Epiſcopum Portuenſem.

Celeberrima Epiſtola S.Dionyſii Epiſcopi Alexandrini, ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, anno 250., de multis martyribus paſſis anno ſuperiori, dat nobis martyrem inter illos *Eunum Cronionem*. Ex Euſebio (lib.6. hiſt. c.41. & 42.) Acta ſic dat Martyrologium Reginæ Succiæ (Boll. tom. 7. Jun. chart. 43.) XVI.Kal. Jul. Ferreoli presbyteri, & Ferrucionis, qui ſub *Julio Claudio* ad trocleas extenſi, & flagellati &c., ad ultimum gladio feriuntur. Sane iidem mm. Ferreolus Presbyter, & Ferrucio Diaconus à Sancto Irenæo Epiſcopo, & martyre Lugdunenſium, miſſi Biſuntium ad prædicandum, ibi à *Julio Claudio* Præſide Maximæ Sequanorum, occiduntur, anno circiter 178. Ita Martyrologia, & acta genuina mihi 16. Junii, tom. 3. pag. 5. Papcb. cujus epitome dicit, in Civitate Biſuntienſi. S. Pionii, & ſociorum martyrum Acta anno 250. habent eos paſſos apud Smyrnas ſub Proconſule *Julio Proculo Quintiliano*, Conſulibus Imperatore Cajo Meſſio Quinto Trajano Decio, & *Virio Grato*.

Ex actis Sanctorum martyrum eodem tempore Thryphonis, & Reſpicii, habemus, *Tib.Gracchum Claudium Aquilinum* P.P. Orientis eos occidiſſe. Ex actis Proconſularibus S.Cypriani Epiſcopi, & martyris anno 257. & 258. habemus, Ipſum dictum *Thaſcium Cyprianum* ; in exilium miſſum ab *Aſpaſio Paterno* Procos. Africæ : & ab hujus ſucceſſore *Galerio Maximo*, martyrio coronatum ; ſepultum tandem ad areas *Macrobii Candiani* ; Qui Cyprianus epiſt.1.no. editio. (Pamelii 66.) dum vetat, ne pro Victore quodam oblatio fieret, *Geminium Fauſtinum* presbyterum expromit, qui ab illo tutor fuerat conſtitutus: & (ep.7.alias 81.) *Sergium Regatianum*, ſuum presbyterum: de cujus feſto 26.Octobris Bailletius. Acta S. Maximiliani martyris Tebeſteni an. 295. produnt *Fabium Victorem* hinc martyrem, patrem Maximiliani præfati (quod eſt *Fabii Maximiliani*) & *Valeſianum Quintianum* Præpoſitum Mauritaniæ Cæſarienſi : quem ego puto *Valerium Quintianum*. Acta S.Marcellii Centurionis an. 298. ſubminiſtrant *Anaſtaſium Fortunatum* Præſidem Legionis, in Civitate Tingitana (quem ego potius vel *Aſpaſium*, vel *Aſtaſium Fortunatum* legerem) direxiſſe Marcellum, ad *Aurelium Agricolaum*, Agentem vices Præfecti Prætorio, a quo capite eſt damnatus. Idem hic *Aurelius Agricolaus*, eodem anno occidit S.Caſſianum martyrem Tingitanum ; qui his nominibus in hujus actis appellatur. *Caeſidium Rufinum* Epiſcopum martyrem, ex actis ejus habemus ; & *Alſium Caecilianum* Epiſcopum Carthaginenſem 3.& 4.Seculo, ex ejus epiſtola apud Optatum Milevitan. *Septimum Coelium Gaudioſum* Epiſcopum Abitinenſem, in Africa Procos, anno 439. ſe perſecutione Vandalica, cum S. Qarduultdeo Epiſcopo Carthaginenſi & aliis, Neapolim profugum ; ex actis noſtri S.Agnelli Abbatis. In actis S. Saturnini, & ſociorum in Africa, anno 304. legimus, in domo *Octavii Felicis*, dominica ſigna glorioſos martyres erexiſſe. Et ne longius vagemur, Acta SS. Tarachi, Probi, & Andronici anno 304., nobis tradunt, *C. Numerium Maximum* Ciliciæ Præſidem: etiamque Spiculatorem (quid inferius?) *Eutolmium Palladium* : uti Epiſtola Eccleſiæ Gothicæ de martyrio S. Sabæ anno 372., cujus lipiſana *Junium Soranum* Scythiæ Ducem collegiſſe, ſub finem narrat.

Inſcriptiones pariter nobis indicant *Attiam Innocentiam* Conjugem *Julii Auguſtini* Subdiaconi; *Fabiam Secundam* matrem *Attii Proculi* lectoris; *Aurelium Maghestinum Marinum*, virum *Valeriæ Maximinæ* ; *Aurelium Saturninum* diaconum, virum *Aureæ Veneriæ*: ut alias multas Chriſtianorum, quæ apud Gruterum fol. 1049. & 1050. leguntur. Cæterum nota eſt inſcriptio *Decii Anathalonis Attici Secundi*, Epiſcopi Mediolanenſis, primo Seculo ; quam ei poſuit Merocles Epiſcopus ejuſdem Sedis, tempore Miltiadis, & Silveſtri Pontificum Romanorum. Baronius eam retulit in notis ad Martyrol. ad diem 25. Sept. ex Alciato. Noti item (ex eodem ad diem 24. martii)

tii) *Flavius Latinus* Episcopus Brixiensis, *Flavius Macrianus* Lector, & *Flavia Paulina*, sub initia secundi Seculi; in inscriptione tunc posita (vel in quarto) ex Tillementio. Nec desunt, si tempora pacis velis, innumeri alii notiores, quorum solummodo proponam *Concordium Misenum* Episcopum Cumanum sub Felice tertio, qui PP. ad *Sedulium Felicem* scribit, epist.6. ad Acacium, & sub Gelasio; & Symmacho: ut notat Cl. Holstenius, in Geographiam Sacram Caroli à Sancto Paulo: Et Symmachum ipsum Papam, qui in suis Synodis subscribit *Cælius Symmachus*; quem sequuntur, *Cælius Rusticus* Episcopus Minturnarum, *Cælius Bonifacius* Episcopus Veliternensis: & alibi post Pontificem, *Cælius Laurentius* Episcopus S. Mediolan. Ecclesiæ. Testamentum S. Perpetui Turonensis Episcopi, anno 474. defuncti (tom. 5. Spicilegii Dacheriani) dat hujus sororem *Fidiam Juliam Perpetuam*, cui Crucem auream illa legat: Ipseque quippe erat, ni fallimur, *Fidius Julius Perpetuus*; ut quod omisit profeiamus. Sed in his excessimus reor modum. Verum alia omittere, nefas esto.

Ita ut, cum signa genuitatis, & vestigia Antiqui, & synchroni ferme Scriptoris sint; sive in actis Martyrum, sive in quibuscumque Scripturis; omnibus eruditis, & mihi sit, expositio omnium, seu plurium nominum hominis, de quo loquitur Christianus, idem dicendum veniat de his Januarii Actis, & eorum genuitate, in quibus paria, & plura scribuntur; & Emmanuelem anno 500., non Gregorium anno 1455., illa scripsisse.

SEQUITUR DETERSIO EJUSDEM CRIMINIS.

C A P. III.

QUid quod illi, qui sub Constantino, & deinceps à quarto Seculo, Acta Martyrum genuina, reparandis in Diocletiani persecutione combustis, recuderunt, hæc vestigia occultare, quin eorum venerabilis antiquitas elucesceret, nescieie? Acta S. Sebastianæ Virginis, & martyris sub Domitiano, ex V. C. Conrado Janningo (apud tomum 2.die 7.Junii in Apparatu pag.60.) tradunt *Sergium Justum* Præsidem: Is, qui apud Menæa die 16. Sept., & 24. Octob. solummodo audit *Sergius*. Acta Præsidialia, & prope genuina Sanctarum martyrum Rufinæ, & Secundæ (Sur. 10. Julii) exhibent *Junium Donatum* Præfectum Urbi; qui eas morti tradidit. Sane vero ex libello Præfectorum Urbi, sub Valeriano, & Gallieno, apud Cuspinianum, liquet. *Junium Donatum P. U.* fuisse anno 257.; hinc Consulem cum *Cornelio Seculari*, anno 260. Qui tamen apud Breviarium Romanum audit tantum *Junius*, & apud Usuardinum Maurolyci Martyrologium, tantum *Donatus*. Acta Sanctorum Martyrum, & conjugum Piniani, & Lucinæ, produnt eos nuncupatos *Faltonem Pinianum*, & *Aniciam Lucinam*. (XI. Maii:) Acta S. Urbani Papæ produnt Judices *Anicium*, & *Tarquinium Taurinum* (25.Maii.) *Anatoliam Triphoniam Callistam*, ut Imperatoris Decii junioris uxorem, ut filiam Æmiliani, Cos. cum Basso, anno 259., dant Acta 19. Maii. Acta Sanctorum martyrum Secundiani, Marcelliani, & Veriani, ut sub Decio Cæsare, & Valeriano Præfecto Urbi, interpolata sunt. Retinent tamen vestigia Actorum genuinorum, & *Quartum Promotum* indicant Consularem: apud Surium 9. Augusti. *Furium Placidum* P.U., & *Furium Abundium*, Patrem, & filium, nuncupatos legimus, in Actis martyrum sub Valeriano, Proculi, & Phœbi die 16. Febr. Et quidem consonat Flavius Vopiscus in Aureliano: *Vidimus proximum Consulatum Furii Placidi, tanto ambitu in Circo editum; ut non præmia dari aurigis, sed patrimonia viderentur.* Acta S.Laurentii, nulli dubium, quin interpolata fuerint, antequam iis Ambrosius uteretur. Autorem ea mihi præferunt eundem, ac qui Secundiani, & Sociorum: & hæc item sub Decio Cæsare, & Valeriano Præfecto Urbi. In iis legitur *Galba*, quem ego potius *Gallum*, & Urbi Præfectum crederem. Ei succedit Valerianus Præfectus, cui Decius Augustus, ita scribit e Perside: *Illustri, & Magnifico Viro Turcio Apronio Valeriano Præfecto, Decius Cæsar.* Ita in interpolatis. Tu corrige tamen A-

pro-

Proniano solum, non Aproniano Valeriano. Is est: *Turcius Apronius Valerianus*. Venit tandem Decius Romam, & Olympiadem, & Maximum tradidit *Vitellio Anysio* Vicario, qui ens Martyres fecit. Hæc 10. Augusti apud Surium leguntur. *Dionysium Zosimum* Episcopum, & Martyrem sub Diocletiano, anno 303. vocant Acta 26. Februarii. *Ritium Varum*, Martyrem cum Lucia Virgine, & multis aliis, sub Diocletiano in nostra Campania, appellant Menæa die 6. Julii, quamquam corruptè Ρῖξον Βικάριον scribant. Rictius Varus is est, in quem Dei gratia mire lusit. Missus ipse à Maximiniano Augusto, anno circiter 286. in Gallias, multos ibi martyrio confecit. Inter quos Firminum Episcopum Ambiani: & apud Treverim, Thyrsum Ducem Legionis Thebæorum militum, quos omnes occidit 25. Sept. Post multa in Campaniam nostram venit; comprehendit Luciam, renuentemque idolis adolere, diu cruciat. Interim gratia Dei, per constantiam Virginis eum occupat, eam audit, & ex persecutore Fidelis, à Provinciæ Consulari, cum ea, & aliis obtruncatur. Ista debebam, Campaniæ meæ ignota.

Acta Sanctorum martyrum Felicis Præsbyteri, Irenæi Diaconi, & Mustiolæ Matronæ, aliquatenus interpolata, e genuinis sunt (die 3.Julii;) & quamvis Aurelianum Imperatorem referant; Imperium tamen Diocletiani, & Maximiani ipsamet clare produnt. In his Actis est, Turcius Vicarius, qui alius non est, nisi *L. Turcius Apronianus Præfectus Urbi*, Pater *L.Turcii Secundi Asterii Aproniani, Correctoris Tusciæ & Umbriæ*, anno 346. ut constat ex inscriptione apud Gruterum, pag. 406. num. 7. *Quintium Innocentium* Sanctum Episcopum Derthonensem, sub initia pacis à Constantino; ejus Acta nuncupant die 17. Aprilis. *Junium Anicium* Episcopum Luccolorum in Umbria, anno circiter 351.; habent Acta apud Italiam Sacram Ughelli, & Lucentii. Acta S. Laberii martyris rescripta (fortasse e genuinis) anno 880. a Probo presbytero, & sacrista ejus Ecclesiæ, sub Leone tertio Episcopo Acheruntino; additis miraculis sequioribus: & tandem recusa sunt à Ruberto de Romana diacono Ecclesiæ Grumentinæ, anno 1152.; Nullatenus non retinnere *Sempronium Athonem*, à Damaso PP., quarto Seculo, datum Episcopum Ecclesiæ Grumentinæ in Lucania: & Corpus Beati Laberii, *a Dicilla Lucilla* nobili femina, cum viro suo *Pactumenio Caristillo*, ac *Magnifico Viro Millone Tillabgipto* sepultum fuisse. Quid corruptius tribus hisce postremis? Attamen ea, vel sic deformata; olim non rudia, sed ornata, & perpolita fuisse apparent: & forte restituenda *Duilia Lucilla*, & Pactumenio (ni *Pactumejo*) *Christillo* (*Christillam* habet Martialis lib. 8. Epigram. 43.) & *Malloneo Tillacryptio* (*M. Malloneum Severinum*, habet Inscriptio Puteolana; apud Capacium in Historia Neapolitana, pag. 732.

Tabulæ Ecclesiæ Sipontinæ non inviderunt posteris, S. Episcopum (sub Gelasio primo PP.) *Laurentium Majorianum*, quinto Seculo; ex Actis 7. Februarii; Nec illæ Lugduni in Armorica S. Episcopum *Paulum Aurelianum* sexto Seculo, ex Actis 12. Martii. *Pantonius Avitus*, qui sub Antonino Pio, Ciliciæ Procurator fuit, à Cl. Alciato lib. 7. Parergon cap. 16. eruditissime legitur, *P. Antonius Avitus*. Hinc ex *Anumius*, qui apud Gualterium adnotatur; ex Livio facem Rhenano, aliis præbente; in notis ad 16. cap., lib. 3. Florilegii legitur *A. Numius*. In Apologia Sancti Justiniani martyris, & nummis, apud Ephemerides Eruditorum Italiæ tom. 22. *M. Aurelius Augustus*, legitur *Maurelius*. Quamobrem (siquidem ita placeat) sic legenda sunt illa, *Lampius* Episcopus, *Casellianus* Præses, *Maurelius*, *Taurelius*, *Canebarius*, *Panebarius*, *Aproculus*, & alii similes, quos non rarò habemus obvios: eo quod erant forsitan *L. Ampius*, *C. Asellianus*, *M. Aurelius*, *T. Aurelius*, *C. Anebarius*, *P. Anebarius*, *A. Proculus*: & a rescriptoribus; vel ignorantia, vel brevitatis causâ (quamverisimile est) unita, & unica voce scripta esse. Hinc ubi legimus inscriptionem illam Sanctorum, apud Ferrarium de SS. Italiæ 14. Julii: *Hic jacent corpora Sanctorum Rufini, & Avenantii*, cum ejus dies natalitius una cum gestis, ignoretur etiam apud

Ser-

Sergianum Castrum Agri Derthonensis; legendum est, vel *Abenantii*; vel *Avenantii*; *ita* tamen ut *Aulum Venantium* intelligamus, Sanctum illum antea nuncupatum. Et quidem ego mihi suadeo factum etiam, ubi *Cantius*, *Cantianus*, & *Cantianilla* Martyres occurrunt; eruntque *C. Anicius*, *C. Anicianus*, *C. Anicianilla*; fuisseque hos fratres, quos de genere *Aniciorum* testantur, Acta edita à Cl. Mabillonio in Liturgia Gallicana; & a Cl. Henschenio 31. Maii: quo die Usuardus etiam, in suo Martyrologio genuino consensit. Nec novum in antiquis Codicibus decurtatum hoc nomen in *Ancius*. Nam apud doctissimum Jacobum Gothofredum, Fasti Consulares habent, *Ancium Rufinum*, cum *Acilio Severo* anno 323., & *Ancium Paulinum*, cum *Julio Camerino* anno 325. quos ex Fastis aliis (in correctioribus Codicibus, & ex inscriptionibus antiquis) constat, fuisse *Anicium Rufinum*, *Anicium Paulinum*.

Non est itaque abs re, (& ex his omnibus, quæ congessimus, latè patet) Acta græca Emmanuelis, verè ab Emmanuele quinto Seculo scripta esse: & non supposita, nec potuisse supponi, anno 1455. à Gregorio monacho; inter alia, ex his vestigiis defæcatæ Antiquitatis.

Quæ omnia, cum vera sint; est tamen aliud observatu dignissimum, quod præeuntibus iis, quæ supra attulimus, manifestat clarius, Gregorium Acta ista non supposuisse.

DEFENDITUR ETIAM, EX EO, QUOD LITERIS CAPITALIBUS CODEX GREGORII SCRIPTUS EST.

C A P. IV.

Quid enim sibi vult Scriptio illa *literis capitalibus*? Si verum amamus; cum nemo unus, ejus Seculo 15. anno 1455. literis capitalibus Græcè scriberet, sed minusculis: imò nec Latinè, nisi in inscriptionibus; Idque literis recentioribus Langobardicis, non autem vetustis. Ex ea ratione scribendi, ex nota antiquitate Codicis anno 1455. datur nobis intelligi, ita scriptum fuisse Codicem, creditum Archetypum, ex quo Gregorius descripsit: Ipsumque ad fidem speciemque veteris, exemplar novum posteris voluisse repræsentare.

Porrò autem puer est in re antiquaria, qui nesciat in latinis, & græcis usque ad octavum, vel nonum Seculum, usum scribendi capitalibus literis invaluisse. Eruditissimus Joseph Scaliger in notis in Græca Eusebii Chronici fol.425. de hujus M. S. Codice ista habet: *Nulli Consules in Eusebi Chronico comparebant. Quum in vetustissimo Codice* Cl.V.Jac.*Bongarsii*, *qui ante DCCCCLXXVII. annos scriptus est, nulli supersint*. Et fol.260. Animadversionum: *Antiquarius*, inquit, *hunc librum explicuit anno Christi Dionysiano DCXXVII. Indictione 15. die Kal. mart. Imperii Heraclii XVII. Unde vetustas libri colligitur. A quo explicito, ad hunc annum Christi Dionysianum M. D. LV., præterierunt anni solidi DCCCCLXXVII. Non puto isto vetustius, exemplar hujus Chronici exstare*: LITERÆ *sunt* CAPITALES, *quas vocant*, *QUO GENERE libri*, *sunt optimæ notæ*. Liquidum ergo est, Codicem Græcum Bongarsianum *literis capitalibus* scriptum; nunc esse annorum MXC. *literis*, inquam,*capitalibus* tantum:nam nec apud Græcos, *capitales* solas, unquam in usu fuerunt, nec apud Romanos. In Latinis verò *capitales Saxonicæ*, *Langobardicæ*, *&c.* inveniuntur, non tamen *Romanæ*; quæ à Carolo Magno, octavo Seculo restitutæ sunt: ut inferius indicabimus.

Clarissimus Johannes Morinus tot nos armabit e suis Herculeis laboribus, ut nullis aliis egeamus. In ejus *Exercitationibus Ecclesiasticis*, editis anno 1633. Parisiis, illa habemus part.1.lib.2. *Exercitat.* 2. cap.4. pag. 107. *Quod vetustissimi Codicis beneficio in Evangeliis*, *& Actis Apostolorum præstitimus*, *ad vulgatæ versionis confirmationem*: *Id nobis in Epistolis S. Pauli*, *ope alterius manuscripti*, *priori antiquitate vix cedentis*, *in eundem scopum præstandum est*: *Epistolas Paulinas* majoribus literis *Græcè*, *& Latinè descriptas*, *complectitur*. *In eo prætereà testimonia*, *quæ à veteri citantur*, minio descripta *sunt*; *Latina versio à vulgata passim differt*, *etiam iis in locis*,

*cii, ex quibus necessario colligitur, eamdem utrique fuisse lectionem Graecam. Apparet tamen unam esse utriusque versionis originem: Itaque existimo, versionem vetustissimi ipsius Codicis, Graeco Textui adversam; eam esse, qua Ecclesia Latina, ut plurimum, ante S. Hieronymum, utebatur: Quam Sanctus ille vir, jubente Sancto Damaso Pontifice, ad fidem Graecorum exemplarium, postmodum recensuit, & emendavit. Vulgata igitur Ecclesiae est, antiqua illa Codicis nostri versio; Sed à Sancto Hieronymo emendata. Quapropter consideratis figura, magnitudine, & splendore characteris, tam Graeci, quam Latini: Illius ob vetustatem per se ipsam, multis in locis dimidiatam, passimque subobscuram delineationem; versionis insuper cum vulgata, Textuque Patrum, comparatione; Sancti Hieronymi aetatem istius Codicis scriptam, videtur omnino praecedere. * Bezae commodatus est antiquissimus iste MS. Codex: isque est, quem Claromontanum vocat. * Hoc autem vetustissimum Epistolarum Paulinarum volumen, in VV. CCL. fratrum Puteanorum manus pervenit: Qui pro ea, quae mihi cum eis intercedit amicitia; & ea, qua sunt erga omnes literarum studiosos benevolentia; illud utendum libentissimè mihi mutuo dederunt.* Quam antiquus ergo est iste Codex Claromontanus! Qui tanti Viri judicio, à *vetustate* Codicis, à *figura, magnitudine, & splendore Capitalium literarum*; A *delineatione* multis in locis *dimidiata, passimque subobscura*, post alias observationes gravissimas; pronunciavit, aetatem praecedere Hieronymi. Sane, cum in nostri Gregorii Codice (si *vetustatem* excipias, quam non habet; utpotè scriptus anno 1455.) praedicta omnia observentur; nec ex parte tantum (ut in Claromontano, in testimoniis e veteri testamento) sed *ex integro, MINIO scriptus* est; cuncta ista altiorem indaginem praeseferunt; cum nemo decimoquinto Seculo ita scriberet.

Morinus alia subministrat (Exercitatione 9.cap.1.fol.394. num.9. dum disserit, pro vulgata) *Mandatum Pontificium Gregorii XIII. exequitur, Antonius Cardinalis Caraffa, qui antiquos Bibliorum MSS. diligentissimè inquiri, & ad se deferri curat: * Prae caeteris exemplaribus, Vaticanum erat venerandae admodum antiquitatis, LITERIS MAJORIBUS; omnium judicio, ante mille, ducentos, & quinquaginta annos exaratum; ante sc. S. Hieronymi tempora, non infra. Solus praetereà ille liber inscribebatur JUXTA SEPTUAGINTA. Antiquissimi praesto erant duo alii Codices, sed praecedente, multo recentiores: unus Venetus e Cardinalis Bessarionis Bibliotheca,* LITERIS *quoque* MAJORIBUS DESCRIPTUS; *alter e magna Graecia allatus. Hic cum Vaticano Codice, ita adamussim quadrabat, ut ex eodem archetypo exscriptus esse crederetur:* Adeo verum est, in antiquissimis Codicibus ferè semper, observari *literarum capitalium characterem*.

EADEM VERITAS LUCULENTIUS DEMONSTRATUR.

CAP. V.

NEc alibi destituit nos Morinus: nam in eadem *Exercitatione* (cap. 2. num.4. fol.401.) ista alia recordatur: *Hieremiae capitis 17. initio, versus quatuor absunt a textu Romano. Praeter tot testimonia, id insuper demonstratur, ex antiquissimo Prophetarum MS. exemplari,* LITERIS MAJORIBUS *continenter; scriptione sine ulla distinctione, vel levissima separatione descripta: Quod ad Eminentiss. Card. Rupifucaldium pertinet; adnotavit Scriba istius exemplaris, ante Ezechielis Textum; Se Prophetam illum ab exemplari Apollinarii exscripsisse; in quo sic scriptum erat:* EXSRIPTUS EST AB EDITIONUM HEXAPLIS, ET CORRECTUS ADHIBITIS EJUS TETRAPLIS: *Quae etiam manu ejus emendata sunt, & Scholiis illustrata:* EGO EUSEBIUS SCHOLIA ADJECI. PAMPILUS, ET EUSEBIUS CORREXERUNT. Nullum, mea quidem sententia, hoc Codice antiquiorem retulit Morinus: Quippe cum apud Antiquarios omnes, cum Mabillonio; ii Codices omnium sint antiquissimi, qui *indistinctis verbis, & continua serie*, velut *unum verbum* esset, Scriptura omni, exarati inveniuntur. Mihi Pamphilus, olet clarissimus ille martyr, &

Eusebius, eruditissimus Cæsariensis Episcopus. Apollinaris est, non Sanctus Episcopus Hierapoleos: *Claudius Apollinaris*; sed alius post Originem: Siquidem Palæstini, Codices legebant, quos ab Origine elaboratos, Eusebius, & Pamphilus vulgaverunt: ut loquitur Hieronymus, in Prefatione in librum *Paralipomenon*, & in Præfatione *in Danielem*. Contra hunc librum Porphyrus objecit: testes sunt Methodius, Eusebius, & Apollinaris, &c. Quod ad nos attinet, noster Codex, ex Codice reor archetypo, verba habet clare distincta: Sed cum præfata de Codice Rupifucaldio Morinum tradentem audio; idea in me, de scripto nostro Codice à Gregorio excitatur: quod sicue ille ab exemplari Apollinaris *capitales literas*, *& continuata verba* est mutuatus; ita noster a Codice, e quo descripsit; *Capitales etiam*, & *minio*, *depictas literas*, & *distincta verba* voluerit exhibere.

Tandem Morinus in libris *de Sacris Ordinationibus*, editis anno 1656. ita de Græco Codice, ut noster, scribit: *Sacrarum Ordinationum ritus Græcus*, *EX ANTIQUISSIMO OCTINGENTORUM ANNORUM CODICE*, *LITERIS MAJORIBUS*, *ET UNCIALIBUS INTEGRE SCRIPTO*, *descriptus*: *Pertinet hic pulcherrimus Codex*, *antiquitate*, *& majestate sua venerandus*; *ad Bibliothecam Em. Card. Francisci Barberinii*, *eratque antea monasterii S. Marci Dominicanorum Florentinorum*; *quem habuerant ex hereditate Nicolai de Nicolis*: *ut initio libri adnotatur*, literis latinis minusculis; *ante centum*, *& aliquot annos*, *ut apparet*, *efformatis*.

Egregius ille Codex, literis majoribus scriptus est; non quadratis, sed longioribus, & pressioribus, *quæ à forma quadrata*, *in hanc*, *labente tempore*, *degenerarunt*. *Certum videtur quicumque Codices antiquos græcos versaverit*, *octingentis annis minorem esse non posse*, *sed fortasse multis annis*, *ætatem illam excedere*. Ergo putabat *Morinus*, Codicem illum, scriptum anno 855. vel multo ante. Noster descriptus est *literis capitalibus* probe quadratis. Credendum itaque ducimus, *quadratis item capitalibus scriptum fuisse Codicem illum Archetipum*, *unde Gregorius anno* 1455. *descripsit suum*. Quæ *capitales quadratæ cum sint nono Seculo antiquiores*; *seculum* (quod primo occurrit) *octavum*, nos ut minimum seligimus, Primigenium illum scriptum: descriptum tunc (nempè ex vere Primigenio Emmanuelis, iisdem fortè literis scripto) quod invitarit exscriptorem ad mimesin; *ducentis*, *& eo amplius annis ante*: *cum illo additamento*, *INCENDII VESUVIANI anni* 689.

In Bibliotheca Card., olim Seripandi (quæ ei obvenit ex legato Iani Parrhasii) asservatur Neapoli, apud Augustinianos S. Johannis ad Carbonarios; Codex Græcus (nunc vero ad ornandam Bibliothecam Imperatoriam, Viennam allatus est) in pergamena vetustissimus, sine principio, & fine, *literis capitalibus* affabre *quadratis* scriptus *atramento*. *Dioscorides* est cum suis botanicis figuris, coloribus adeò vividis, depictus, ut oculos rapiat intuentium. CLL. Mabillonius, & Monfauconius, dum agebat Neapoli, vidit, suaque manu scripsit; *ætatis circiter mille annorum* illum esse, quem hinc exhibuit in sua Palæographia. Et recte quidem; nam reipsa videtur; inter sextum, septimumque seculum scriptus esse. Quocum, & cum Cæsareo ejusdem ætatis quinti seculi Dioscoride, apud eumdem, convenit planè noster: preterquam in A, & E, G, O, quas illi delineant, ita; A, E, G, & ω, præter spiritus, & accentus.

In eadem Bibliotheca erat Codex membranaceus in 8. (suprapositum, est *Albus in folio*) *coloris veluti violacei*, *literis aureis græcis*, non *capitalibus*, sed iis, quas *minores* vocant, quæ tamen sunt *fermè unciales*, scriptus; suo capite, item, medio, & fine destitutus; qui continet Evangelia. Mabillonius, Monfauconius scripsit in fronte: *eodem loco*, *& tempore editam Anthologiam*, *& Græcos Tragicos*; *charactere item capitali*: ut testantur Cll. Ephemer. Ital. Collectores, tom. 2. In Epistola dedicatoria: *Sed hæc omnia nedum sunt annorum plusquam mille*; judicio verè sancto, & justo. Adeò *capitalibus*, *& uncialibus literis* scripti græci Codices, sunt antiqui. Ubi illud

etiam

etiam advertendum venit, quod anno superiori 1716., Bibliothecarius nostræ Brancacianæ D. Thomas Marra mihi exhibuit, ut græci libri editionem ei referrem. Appollonius Rhodius est in 4. editus Florentiæ, anno 1496. *In quo Textus Apollonii græcus, ex integro literis capitalibus, cum suis spiritibus, & accentibus editus est.* Scholiastæ verò *Lucillus Parræus, & Sophoclius*, & *Theon*, in marginibus, literis sunt minusculis, item græcis. Adverto inquam; nam ità scriptum fuisse antiquissimum illius MS. Codicem, haud dubie tenendum est. Et hic in omnibus convenit, etiam quod ad exemplar nostrum Emmanuelis: quod si latinum esset, illi scripturæ omnino correspnderet, quam secundæ ætatis docet CL.Mabillonius de re Diplom.(tom.5. lib.1.pag. 47.) & Virgilii fata cano, cujus exemplar profert; & inter quintum, sextumque seculum scriptum putat.

Hæc tamen nolim ego quis credat dicta, quasi codicibus Græcis, *literis minoribus* scriptis, fuam detraham antiquitatem. Vidi ego in Vaticana, in Neapolitana SS. Apostolorum; in præfata Card. Seripandi: in Musæis aliis, Codices Græcos MS. hisce literis, ætatis annorum mille, & ultra, & inferius, omnis seculi usque ad nos. Sed quod evincimus illud est, me nusquam aliquem offendisse, qui *literis Capitalibus* scriptus, *nono seculo sit posterior*; ita ut ante nonum seculum pro libitu; *capitalibus, uncialibus, minoribus literis* scriberetur; postea solis minoribus scriptum fit. Et reapse laudatus etiam Morinus, MS. codicem Græcum refert, qui septingentos propè annos, anno 1655. attingebat; non tamen literis capitalibus,sed minusculis scriptus erat. Audiamus ipsum fol.74.*Ritus Græcus ex antiquissimo septingentorum prope annorum Codice descriptus.Pertinet ad Monasterium Cryptæ Ferratæ. Illum in Concilio Florentino, olim dedit Juliano S. Sabinæ Cardinali Georgius Vari Cretensis Presbyter, ut in calce libri adnotavit ipse Julianus Cardinalis. Eo postmodum donatus est Bessarion Cardinalis, & Archiepiscopus Nicænus: Qui factus Abbas Cryptæ Ferratæ, tum Cryptensibus monachis concessit. Ipsius antiquissimi Codicis* ἀπόγραφον, *est in Amplissima Eminentiss. Card. Barberinii Bibliotheca.*

Gregorio monacho ab imposteris crimine, hoc etiam ex capite, liberato; illud hic addidisse placet, quod præterito seculo accidit Codici novi Petronii fragmenti, & iis, qui anno 1664. Patavii publicarunt. Adrianus Valesius, & Jo: Christophorus Wagensilius, in illud irruentes; hic figmentum dixit Gallorum, Italorum ille. Plurimi Itali genuinum habuere. Hinc ne dubitari amplius posset de bona illorum fide, qui ediderunt; ipse MS. in Dalmatia repertus, Romam allatus est, anno 1668. Emphemerides Italiæ; quæ tunc Romæ fiebant, dixerunt: *Possidet id jam Grimaldus nobilis Bononiensis; penes quem omnium est expositum oculis, quibus id exanimare animus est. Eruditi, qui paulo accuratius, id consideraruut, ducentos minimum annos esse, cum scriptum sit, consentiunt omnes. Nonnulli etiam trecentos annos adscribunt: Quoniam & ratione chartæ; & characterum figuræ, simillimum est manuscripto cuidam Bibliothecæ Vaticanæ; De quo certo constat, à manu, id esse Petrarchæ. (qui XIV. seculo vixit) Neque verò verisimile est, fragmentum tunc temporis esse suppositum; Quoniam tunc temporis nemo erat aptus imitando stylo Petroniano.* Ita ego Gregorii Codicem impetitum, in publicum oculis omnium exposui. Eruditi acclamant scriptum sub tria secula anteriora. Quid restat? Inverisimile esse à Gregorio esse suppositum, quandn nemo erat aptus tot rebus inveniendis, concinnandis, & imitandis.

QUAM INANIS ET DESPERATA, A SINGULARITATE CODICIS SIT OBJECTIO.

C A P. VI.

TRia post hæc, in me veluti opponi posse, fat scimus. Primo à *singularitate* Codicis.Quo loci,illud probro mihi ducerem, omittere, quod Aribertus Langobardus in Italia Rex, anno circiter 706. Johanni Papæ VII. contulit, *scriptum ex integro aureis literis* Præceptum. Rem ita narrat (post Anasta-

sium Bibliothecarium) Johannes noster diaconus in *S. Laurentio* nostro Episcopo: *Huic Hercvertus Rex Langobardorum multa Patrimonia Alpium Cottiarum, quæ quondam ad Jus pertinebant Apostolicæ Sedis; sed a Langobardis multo tempore fuerant ablata; restituit juri ejusdem Sedis. Et hanc donationem AUREIS LITERIS Romam direxit.* Omitto etiam celeberrimam Bullam Auream, quam *AUREIS* pariter *SCRIPTAM LITERIS*: uti & *Evangelia* in Cod. Carbonario, & *argenteis* in Cod. Virdunensi. Tandem nec illud, parum ad nostri Codicis, & unde exscriptus fuit, commendationem fortasse confert, quod nedum *capitalibus*; *sed ETIAM MINIO, EX INTEGRO SCRIPTUS EST*; quam scriptionem nemo, XV. seculo usurpabat. Codex Frontonis *octo vel novem centum annorum*, *LITERIS AUREIS EXARATUS*: *De diversis Rescriptis, & Pragmaticis Sanctionibus*: Imp. *Leo Augustus Hilariano Magistro Officiorum, & Patricio ait*: *Sacri affatus (quoscumque nostræ Mansuetudinis, in quacumque parte paginarum scripserit) auctoritas, non alio vultu penitus, aut COLORE, NISI PURPUREA tantummodo inscriptione lustrentur. Scilicet, ut COCTI MURICIS, & TRITI CONCHILII ARDORE signentur: eaque tantummodo fas sit proferri, vel dici Rescripta, in quibuscumque judiciis. Quæ in CHARTIS, sive MEMBRANIS subnotatio nostræ subscriptionis impresserit. Hanc autem SACRI ENCAUSTI confectionem, nulli jus licitum, aut concessum habere, aut quærere, aut à quocumque sperare; Eo videlicet, qui hoc aggressus fuerit, tyrannico spiritu, post proscriptionem bonorum omnium; capitali non immerito pœna plectendo. Datum VI. mens. April. Jordane, & Severo Conss.* Noverint Eruditi quid hac in re scripsit Cl., (quem hic nuper legi) Mabillonius *de Re diplomatica* lib. 1. pag. 42., & de ejusmodi *minio* perductis scriptionibus. *Hanc vero*, inquit ille, *in subscribendis literis suis, jampridem usurparunt Impp. Orientis: ut patet de Theodosio juniore: Cui, si quis Chartam offerret, is RUBRIS in ea LITERIS, nomen suum subscribebat; testante Constantino Manasse &c.*, Et paulo post: *Hoc MINIUM, vulgo CINNABARIS dictum, Imperatoribus solum reservatum est, Edicto Leonis Augusti. Codicis Justinianæi lib. 1. tit. 23. X. 6. prohibentis. Sacra Rescripta, alio colore, quam PURPUREO lustrari, COCTIQUE MURICIS, & TRITI CONCHYLII ARDORE signari: & ejus SACRI ENCAUSTI confectionem, privatis interdicentis. Hoc privilegium tamen Imperatores in filios Imperii consortes, & in generos suos extendebant. Immo Isacius Angelus Augustus Theodoro Castamonitæ avunculo suo, cui Summam rerum commiserat; non solum PURPUREAS PHALERAS, & SIMILE PALLIUM in equitando; sed etiam eundem colorem in SUBSCRIBENDIS publicis libellis, & LITERIS concessit: Teste Niceta Choniate &c.* Hinc scribit, quousque hic usus apud Orientis Imperatores invaluit; apud quos tam antiquus fuit, (ut vidimus) ni anterius; quam est Theodosius II., & initia V. seculi. De usu *Minii*, & *Cinnabaris*, etiam in Scripturis; vide Plinium lib. 33. c. 7. inferius.

Jure ergo videmus in literis Gregorii II. PP., apud Eminentiss. Baronium, ad annum 726. testimonium simile, *de literis* Leonis Isauri Imperatoris: *Imprimis autem*, (ajebat ipsi Leoni) *ac præcipuè, quod literæ tuæ, & non alienæ; Sigillis Imperatoriis obsignatæ diligenter essent, & accuratæ intus subscriptiones per CINNABARIN, propria manu tua (ut mos est Imperatoribus; subscribere) haberentur, tuas esse; & à te esse cognovimus.* Idem Baronius de similibus nos admonet, ad annum 869., ubi de subscripto Basilio Macedone Imp. octavæ Synodo, ita loquitur: *Subscriptionem suam apposuit ante reliquos Episcopos, cum additamento signi Sanctissimæ Crucis. Quod etiam & Episcopi omnes fecerunt. Ipsi vero tunc subscripserunt Impp. LITERIS PHOENICEIS EX CINNABRIO, EX MORE.*

Cl. Mabillonius Occidentales Impp. itidem peregisse testatur in eodem opere lib. 5. pag. 404. in notis ad Imp. Caroli Calvi Monogramma: *Illud*, inquiens, *in eo præcipuum, quod Caroli Monogramma CINNBARI, seu MINIO pictum est, more Græcorum Impp. Quin etiam Gozli-*

ni

ni Cancellarii nomen, *adscriptum*, *est* LITERIS *itidem* RUBRICATIS. Et in Supplemento ad idem opus, pag. 47. ubi aliud ejusdem Imp. Diploma notat, & ita loquitur: *Apposita est Caroli subscriptio ex* CINNABARI, seu MINIO. Quo anno id Latini Impp. agere cœperint; crediderim ab ipso Carolo Calvo cœptum. nec parum suadent Mabillonii hominis peritissimi; ea verba: *Illud in eo præcipuum ad servandum vetustum morem*, *quo Itali*, *videre soliti erant scripta Diplomata*, *& Rescripta Imperatoria*. Illud primo *Protosebasti & Duces Neapolitanæ Reipublicæ*; & postea affectarunt Dynastæ alii, Principes Beneventani & Capuani; & novæ creationis, Archiepiscopi Itali post Papam.

Ita & Primus Rex noster Rogerius: quod videre est in ejus diplomate, *Dat.* 11. *Id. Decembris*. *Indictionis XI. Incarn. Dominicæ*, *anno M.C.XLVII.* Alterum item Rogerii, apud Gualterium, fol. 105. Datum Messanensib. anno 109. 1582., die 4. mens. Maii Ind. 15. ubi Gualterius ait *colore Ruso*. Landolfus II. equidem Princeps Beneventanus & Capuanus: anno 944. dat Præceptum tertio Kal. Sept. Indict. 11. cujus Monogramma *minio depictum est*. Etiam Paldolfi 4. Capuani Principis Monogramma, ad Preceptum Dat. 4. Id. Martii. Indict. 2. (apud peritissimum Camillum Peregrinium) idest anno MXXXIV. *minio descriptum est*. Tu vid. Scap. ad vocem φοινικὶς: Ubi mellifluus Xenophon in *Cyripadia* lib. 6. de *totius ejus exercitus vestimentis PUNICEIS*, verba faciens, ita insit: Ἠνθει δὲ φοινικίσι πᾶσα ἡ ςρατία.

Quid autem pauca ad infinita? Omnes subscriptiones ex monogrammate, Principum Beneventi & Capuæ, & Salerni, hujusmodi fuere. Testem dabo, (plura qui vidit) Michaelem Monachum in suo *Sanctuario Capuano* pag. 649. ubi scribit: *Circa Principum subscriptiones*, *duo sunt observanda*: *Unum*: *fuisse*, RUBRIS CHARACTERIBUS; QUALIBUS ETIAM CHARACTERIBUS IN SUBSCRIBENDO UTEBANTUR *Archiepiscopi nostri*. *Mos acceptus à Græcis*, *apud quos in subscribendo*, *soli* RUBRICA *utebantur Imperatores*. *Bzovius anno* 1263. *num.* 10. *Alterum est*, *literas proprii nominis*, *dispositas in forma Crucis &c.*

Quæ autem prohibitio *minii*, & *cinnabarii* in publicis scripturis, & Magistratuum, locum habuit; ea in scriptis privatis, & domestici usus, vel ad Posterorum memoriam, & similibus, numquam viguit quod in privatis Schedulis, Principum Majestas non lederetur. In Ecclesia siquidem, (ut mittam alia) habemus, ante, & post Leonis Edictum, & antiquissima Martyrologia MSS., Ritualia, Pontificalia, Psalteria, Antiphonalia, Missalia, Sacramentaria, Breviaria, & Kalendaria (etiam Ethnicorum) & similes scripturas; in quibus *minio* multa sæpissimè *scripta sunt*. Ita nempe Sanctorum nomina, quorum solemnia festa Ecclesia agebat; & alia, vel dignitate distincta, & Sacratiora, ut *Sacræ Scripturæ verba* (sic in Cod. Vett. apud Morinum supra, quarto seculo) in *Claromontano*, vel *Notanda*, vel *Commonitoria*, vel in *Titulis*; *minio scripta* videmus: Quòd ab indè & adhuc observat Ecclesia. Ita ut, sive ad *majestatem scriptionis*, sive *ad Januari Gestorum dignitatem*; Emmanuel; aut ejus exscriptor VIII. seculo) *minio in membrana*, *& capitalibus scripsit*: & ad fidem, *Gregorius in papyro representavit* anno 1455., maxima laude, ab antiquitate. In Palæographia Montfauconius lib. 1. c. 1. fol. 3. narrat de *scriptura rubra*. Memorat quoque Dio, lib. 40., nomina Impp. *in Vexillis*, inscribebatur φοινικίσι γράμμασιν, *puniceis* nempè, *purpureisque literis* &c. Eusebius certè epistola ad Carpianum ὑποσημειώσεις, sive *notulas* Canonum suorum διὰ κινναβάρεως, *cinnabari* descriptas ait. Vide Hadrianum Junium lib. 2. cap. 2. *Animadversionum* fol. 352. biu de fol. 4. de ἀλουργεῖ ἢ πορφυρῷ & φοινικῷ dicit, Cur in scripturis reperitur tanta rubrica, quando ea per legem adeo erat vetita? ait: *Sive id totum impetratum à consuetudine esset*, *nec tam accuratè Sanctiones Principum servatæ fuerint*, *sive etiam* (*uti diximus*) *rubri characteres illi*, *varii essent*, *discrimenque se suis notis*, *indicilsque proderet*: *Quam tamen differentiam*, *nos non internoscimus*, *sive quod* (*fortasse verisimilius*) *lex hujusmodi*, *Epi-*

Epistolas, & Acta publica, solum spectaret, ac in libris scribendis vim non haberet.

Plinius Secundus coronat nostra, Hist. nat. lib. 33. cap. 7. de *minio* loquitur, & *cinnabari*, satis late, ac demum ait: *MINIUM in VOLUMINUM quoque SCRIPTURA USURPATUR: Clarioresque literas, vel in AURO, vel in MARMORE, etiam in Sepulcris facit.*

Pro Emmanuelis nostri, & ejus exscriptoris Gregorii Basiliani manuscripto, vide quæ Petrus de Marca (fol. 601. tom. 5. Concil. Labbæi) habet, & scribit, Pro *MS. de Decreto* Vigilii Papæ, dum pro confirmatione quintæ Synodi (Cpol.) Differit:

Commodum accidit nuper, et quo tempore acta quintæ Synodi OEcuomenicæ prælo Regio excudebantur, obtulerit sese mihi, fato quodam, vetus Collectio χρήσεων, *ex antiquis Patribus, & Conciliis petitarum, ut à veteri Theologo adversus Acephalos, & Monothelitas Hæreticos olim adornata. Volumen illud MS. Græcum, quod extat in Bibliotheca Regia, accurate descriptum à Leone Cinnamo, & ab eo repositum Cpoli. in Bibliotheca Imperatoria, temporibus Michaelis Palæologi, anno mundi* 6784. *seu anno Christi* 1276. *Amanuensis vero testatur à se transcriptum, ex autographo, quod in veteri Bibliotheca Ecclesiæ asservabatur, calamo exaratum, anno mundi* 6267. *seu anno Christi* 753. *Quod ideo adnotavi, ut de manuscripti Codicis antiquitate, & fide, nullus esset dubitandi locus.*

P. Philippus Labbæus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tom. 1., (edito anno 1660.) in *Addendis, & corrigendis* in Eugipio Abbate (col. 735.) consultus Petrum de Marca, Illustriss. & Reverendiss. Archiepiscopum, tunc Tolosanum, postea Parisiensem; ita hic ei rescribit: *Ex adnotatione, quam ex Codice S. Germani Parisiensis, & Monasterii Rivipulensis in Catalonia descripta, ad te transmisi, potest error Sigiberti emendari; & unde ortus fuerit perspici; cum Eugipium ad tempora Pelagii Pontificis, & Tiberii Imp. refert. Confundit quippe tempus exscriptionis, vel potius commendationis Codicis Eugipiani; cum auctoris, Eugipii temporibus. Redux quippe adhuc laicus, volumen illud exscribi procuravit; deinde Neapolicanæ Ecclesiæ à Pelagio Episcopus ordinatus; idem volumen corrigi, & emendari jussit à Petro Notario Ecclesiæ Neapolitanæ: Qui diem suæ emendationis adnotavit: nempè Idus Decembris, & annum septimum Tiberii: adjecta quoque Langobardorum obsidione: Cujus tempus, hoc testimonio evidenter ostenditur. Quanti autem Redux faceret hunc Codicem, colligi potest ex eo, quod tanquam munus prætiosissimum Ecclesiæ suæ, illud contulit, in ejus Archivio, perpetuò custodiendum: adjecta, gravium pœnarum comminatione; si quo prætextu, aut colore alienaretur. Cæterum ex ipsa Petri Notarii observatione, tempus Eugipii anterius quidem Tiberio esse demonstratur, una cum Sigeberti lapsu. Sed verè Eugipii Epocha aliundè colligenda est; Pronus sum in eam sententiam, ut hunc putem, eumdem cum Eugipio à Cassiodoro commemoraco. Vale V. C. & amicissime.*

Porrò autem (meo si quid liceat animo indulgere) crediderim, jure hunc *colorem* electum fuisse in scribenda martyris Passione. Nolim ego de nobilitate colorum differere: A doctissimis hæc dudum Provincia culta est; Quid martyrio *sanguinis, minii scriptione congruentius*, excogitare potuit Emmanuel, sive ejus exscriptor 8. seculo? *MINIO IN MEMBRANA, ET CAPITALIBUS* scripsit: & ad fidem, Gregorius in papyro repraesentavit, anno 1455.? Maximam ab ipsa, reor, antiquitate. Etiam Rapsodi Homerici cum in Theatro canebant Iliadem, *cerulea veste*; cum Odysseam *purpurea* induebantur. Et in Notis rationem reddit Eustathius, in principio Iliadis: ubi infit: Ἐκεῖνο μὲν κατὰ τὰς πλάνας, διὰ τὴν ἐν θαλάττῃ πλάνην τοῦ Ὀδυσσῆος, τοῦτο δὲ διὰ τὰς ἐν Τροίᾳ φόνους, καὶ τὰ ἐντεῦθεν αἵματα. *Illud siquidem, secundum antiquos, ob maritimos Ulyssis errores; hoc verò ob neces apud Trojam, & inde fusum sanguinem.* Lacædæmones ad bellum procedebant *veste Rubra*. Cujus moris Suidas meminit in verbo καταζαίνειν εἰς φοινικίδα, iis verbis, addita ratione: Ὅτι τὸ τῆς χροίας, ἀνδρικόν, τοῦτο δὲ ὅτι τὸ τοῦ χρώματος αἱματῶδες τῆς τοῦ αἵματος ῥεύσεως ἠθίζει κα-

τῳφρο-

πορφύραν. *Quod is color, virilis esset, tum quod color SANGUINIS, spernendi assuefaceret, sanguinis effusionem*. Ecclesia ipsa Sancta, in martyrum festis, *ornatibus rubri coloris utitur*. Laudandus ergo Emmanuel, qui *colore virili, colore militum Christi, colore Majestatis, & Venustatis, Imperatorum, & Regum, Gesta scribendo Januarii* purpuravit.

OBJECTIONI, QUOD, NON PRODIERIT EX PUBLICA ALIQUA BIBLIOTHECA, RESPONDETUR.

C A P. VII.

PRIMÆ objectioni *A SINGULARITATE CODICIS* succedit *SECUNDA, A LOCO*; quod non ex publica aliqua Bibliotheca emerserit. *TERTIA A SILENTIO*; quod à nemine nostrum, vel alienigena, hæc Acta sint memorata. At hæc omnia, apud Antiquarios, inania sunt, & futilia.

Nam quod ad primam; Singularis est Codex Tertulliani, & liber, *Ad Nationes* à Jacobo Gothofredo inventus, & a Nicolao Rigaltio editus. Singularis est Codex Colbertinus qui habet *opus L. Cæcilii (tantum Lactantii) Firmiani De mortibus Persecutorum*: Quod tali viro quarti seculi tribuitur. Singularis est Codex *Marii Mercatoris* adversus Pelagium, Cœlestium, & Julianum, Scriptoris anni 430. quem tamen nemo per tot secula se vidisse, audivisse scribit; Invenit autem anno 1665. Cl. Labbæus in antiquo MS. Codice; qui ad Capitulum Bilumnense spectabat. Singulare est Epistolarum S. Ignatii m. exemplar Latinum, quod Cl. Ufferius, in Bibliotheca quadam Angliæ reperit: & singulare ejus exemplar Græcum, quod Uossius in Bibliotheca magni Ducis Hetruriæ nactus est. Quas tamen Salmasius, Dallæus, & Blondellus, ut non genuinas etiam oppugnarunt; vindicarunt contra Ufferius, Edmundus, & Pearsonius. Testamentum Sanctorum quadraginta martyrum Sebastenorum, ex singulari Codice Cæsareo nunc habemus. Singularis autem est antiquissimus ille Codex, qui in Bibliotheca Abbatiæ Verdunensis, propè Coloniam Agrippinam latens, literis scriptus argenteis; Evangelia Gothicè, & Anglo-Saxonicè continet. Ætatis ille mille annorum circiter, à Francisco Junio, & Thoma Marescallo Dordraci anno 1666. editus est. Singularis est Codex præfatus, fragmenti novi Petronii Arbitri. Singularis est Codex Langobardicus, apud Bibl. Neap. SS. Apostolorum; ubi Gesta S. Nicolai per S. Methodium nono seculo scripta Græcè (quæ nullibi habebantur) per nostrum Diaconum Johannem eodem seculo, reddita sunt latinè. Chronicon Episcoporum Neapolitanorum ab eodem diacono scriptum, in Vaticana Bibliotheca servatur. Attamen singularis est Codex; a nostro Summontio primum detectus, & a me anno 1720. inde integrius, & fidelius est transcriptus. Cui, cui a *singularitate*, neminem quidquam objicere tinebimus. Homilia gestorum S. Januarii, octavo, ut minimum, seculo, Neapoli ab Episcopo aliquo dicta; quæ incipit: *Ad gloriam*: Singularis est, membranacea, & in folio: Quæ asservatur in prædicta Bibliotheca SS. Apostolorum. Singularis est Codex Responsionum Aeneæ Episcopi Parisiensis nono seculo, ad Photianorum objectiones, à Luca Dacherio (tom. 7. Spicilegii, anno 1667.) publicatus. Singularis est Codex Operum Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis nono seculo; quem Papyrius Massonius primum, hinc Stephanus Baluzius, publicarunt. Quid de Codice singularissimo Fastorum Siculorum; ab eruditissimis viris Radero, Scaligero, Ducangio, Scheleltrato? Quid de Codice singularissimo, & auro ipso prætiosiore, in quo Testamentum, ex Archetypo exemplari habetur S. Gregorii Nazianzeni: à Barnaba Brissonio primum edito, & Medra Morellio altero seculo tomo 2. ejus operum publicato. Quid de Laterculo singularissimo Silvii; Kalendario singularissimo Chartaginensi Mabillonii; Kalendario, & Catalogo Solitariis Bucherii; Kalendario Romano antiquissimo, & unico Frontonis? Quid de unico, & ab nono seculo semper inaudito Martyrologio Ecclesiæ Germanicæ, Augustæ Vindelicorum edito anno 1687.? Quid tandem dicendum

dum

dum est de singularissimis Codicibus à Dacherio (tom. 8. Spicilegii) Eruderatis : in quibus habentur opera Actonis Episcopi Vercelensis, qui seculo decimo floruit ? & Chronicon Nicolai Trevethi Dominicani; qui Historiam scripsit eorum, quæ ab anno 1136. ad 1337. accidere memorabilia ? Athanasius magnus vitam S. Syncleticæ scripsit; quæ usque ad præteritum seculum ignota jacuit. Daniel Colvilus sortem habuit illam nanciscendi in Codice Græco singularissimo, & unico in Bibliotheca Escuriali Regis Hispaniarum: versamque latinè, post mille, & prope tercentum annos, nobis legendam præbuit ipso seculo 15. quo noster Gregorius exscripsit Acta S. Januari. Silvester Syropolus.. Historiam Concilii Florentini, duobus voluminibus scripsit. Primum jamdiù lucem vidit: secundum ex singularissimo Codice Bibliothecæ Regiæ, primus eruit Vossius, & a Roberto Creygthono, (cui communicavit exemplar) versus latinè insonuit; qui ne græcè fere prius audiebatur: Quam versionem, & alia castigavit Allatius anno 1666.

Ex testamento autographo & ex Codice singulari MS. (apud V. C. Hieronymum Vignerium) S. Perpetui Turonensium Episcopi an. 434. defuncti, a benemerentissimo de sancta antiquitate Luca Dacherio primum anno 1666. a blattarum rictibus erepto, & tom. 5. fol. 1. publici Juris facto.

Infinitus sim, & eruditissimis quibus hæc scribo viris, ad nauseam usque importunus, si innumera illa acta Martyrum, vel Confessorum recenseam, quæ ex unico & singulari Codice evulgarunt Herculei Bollandiani; Cointius, Mabillonius, Ruinartius: ut omittam Surios, Baronios, Caryophilos, Holstenios, Dacherios, Baluzios, aliosque doctissimos: Qui Remp. suo labore, & industria, tot divitiis,immo opibus hisce, locupletarunt. Mare magnum est; Præsertim si enumeranda sumerem, quæ ad humaniores literas, Scientiasque spectantia, sæpe ex uno aliquo Codice, casu invento, majores nostri tribus abhinc seculis, communi bono, publicarunt.

Itaque ne pluribus, neque horum imperitis facturus satis, vestras VV. CCL. obtundam aures; unum illud placet apponere, quod Andreas Saussayus Martyrologio Romano, quod dicunt, *Parvum*, à Roberto Rosveydo reperto, opposuit, argumento a singularitate: Et quod ei respondit nuper, V. C. Jo: Baptista Solerius, Patrum Bollandianorum alterum ornamentum. Ita enim iste in Præfat. ad Usuardum (cap. 2. art. 2. num. 95. & 98. fol. XXVII.) utrumque adimplet. *At urgent fortius*, inquit Flonretinius, *quæ deinde Saussayus opponit; Martyrologium nempe illud nequaquam esse posse, quod Ado laudavit, & a quo se plurimum adjutum fatetur. Primum, quod ex antiquis tribus Codicibus, quibus Rosveydus usus est, in uno tantum invenerit Adonis præfixum nomen, cui potius tanquam Kalendarium præfigi potuerit, & cujus specimen non incongruum exhibet. Rosveydum exagitat, quod putaverit Adonem ubique vestigiis Romani veteris insistere, cum a locis adnotatis certum ostendat, Romanum illud putativum, in multis cum Adone non convenire, in aliquibus exuberare. Si nihil ibi habeat Saussayus, quod fortius urgeat, verè ostendit, se ea solum causa Rosveydum aggredi, ut Hildunum suum tueatur. Quid si decem, quid si viginti Codices Adonianos reperisset Rosveydus, Romano parvo vacuos, atque in solo aliquo ordine quinto & vigesimo feliciter præfixum; An inde, obsecro; minoris faciendus esset, tandiu expetitus, tandiu desideratus Thesaurus? An minori Eruditorum omnium applausu ubique acceptus est Beda, a majoribus nostris editus, tametsi contextus ille a centenis Codicibus abfuerit; in uno solum,aut altero,imo in duabus Latinis editionibus, Romana, altera* Divionensi *repertus? Porro det nobis modo aliquis, tot latentia antiquorum opera; vel si a millenis aliis Codicibus abfuerint; faxo & gratanter, & benevole ab eruditis omnibus admittantur, si nullo alio, præterquam raritatis vitio, laborent.*

A SIN-

A SINGULARITATE CODICIS, OBJECTIS; ITERUM, ET AD SATIETATEM SATISFACERE PLACUIT.

C A P. VIII.

HÆc optimè, & sapientissimè U. C. ille, argumento à singularitate Codicis exsufflato: Non quod vere Saussayus singulares antiquos Codices respuat. Hoc enim non autumo, virum illum doctissimum voluisse: Sed quod Codicem ea, quæ cæteri omnes non promebant, haberet unus; admittendum facile non putaret. Quid quod, ut eò ultimò procedamus; Codex qui modo singularis creditur, singularis forte non est; & ex Tabulariorum, Bibliothecarumque forulis; alia exemplaria prodibunt antiqua (ni etiam primigenius ille Emmenuelis, ejusve descriptoris octavo seculo, Codex) quæ singularem, reddant multiplicem? Ita enim cum primum Phædri libellos vulgavit Petrus Pithæus, ex Codice MS., quem Franciscus ejus frater repererat; non defuerunt ex Literatorum hominum grege obtrectatores, qui suppositios libellos esse suspicarentur. At Prudentissimi quique, & Eruditissimi, editis in libellis statim observarunt, nobilem quamdam, & elegantem simplicitatem, quæ ætatem Augusti saperet. Quod ipsorum judicium mox confirmatum est, veterum exemplarium autoritate, quæ in Bibliothecarum forulis detecta apparuerunt. Verba sunt difficillimi æque ac doctissimi Bartholomæi Germonii discept.2.fol.335.

Vitam S. Nicolai Græcam, nos primi dedimus, ex unico & singulari membranaceo Codice Vaticano: Eam nemo ante nos vidit, aut legit: nisi P. Beatillus, qui inde educto tantum nomine Patris *Epiphanii*, & detorto nomine matris *Nonnæ*; quam *Johannam* nuncupavit: Acta illa altè siluit, & Codicem denno sepelivit. Ita ut, nec suis Sociis etiam, revelarit. Codex alius ex Primigenio scriptus sub finem seculi septimi; in quo *ejus miracula* scripta erant, in manus incidit nostri Johannis diaconi, dicti *ad diaconiam*; qui ex Græco illa latine dedit. Porro, S. Methodius Patriarcha Cpolis anno 840. nec illa habuit, nec Codicem, illum Prinigenium, nec Ecgraphum, hujus nostri Johannis diaconi unquam novit. Attamen nos primi eruderavimus in Bibliotheca Vaticana, & edidimus. Quamvis *singularis* & nemo alibi, vel alter repertus sit! Quod fuit Munus, gratissimum & inexpectatum, & insperatum, universæ Reipublicæ Literariæ.

Ab Aloysio Lipomano, post longam molestamque perquisitionem, repertum est Martyrologii Adonis exemplar aliquod; in cujus comparatione, *omne aurum, nihil esse duxit. Cedo cui homini in mentem venerit, editionem ejus redarguere, quod sola, & prima esset. Cum tot postea alia exempla magis, vel minus integra, viderit Mabillonius; viderint passim alii?* Verba sunt loco præcitato Cl. Sollerii.

Cl. etiam Lucas Holstenius multum desiderata & frustra, in variis Bibliothecis diu conquisita *Acta* germana *Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis*; invenit tandem in Codice MS. Sacri Monasterii Casinensis: Unde evecta, & Romæ vulgata; eadem postea cum ejusdem Holstenii notis, Parisiis edidit Henricus Valesius: Et Theodoricus Ruinartius, (studiosissimus ille Sacræ Antiquitatis indagator) anno 1690. singularitatem Codici eripuit: Acta eadem proferens ex duobus Codicibus MSS.; quorum alter ad Ecclesiam Salisburgensem spectat; alter (qui ad annos 800. accedit) ad Bibliothecam pertinet suorum, monasterii Sancti Cornelii Compendiensis. Ita Ruinartius ipse in Sinceris fol.90. Et tamen ante ipsum solo Holstenio indice, solo Codice Cassinati fretus, Cl. Papebrochius, nonis Martii acta ista edere, & adprobare, non dubitavit.

Alia multa adderem, ni hæc satis superque essent; & ni domestico docti documento, Codicis noni seculi, ab anno 1600. usque modo singularis, MS., Johannis Diaconi nostri *de Neapolitanis Episcopis*, in Bibliotheca Vaticana servati, abunde instrueremur, has despicere singularitates, quæ Reipubl. modo bono cedant, proveniant.

rum, vel nominum, nemo unus uſque ad initia præteriti ſeculi, tantillum meminit. I. Epiſcopus Anonymus Neapolis (*S. Julianus forſan*) ante annum 770., qui Homiliam (quæ incipit: *Ad gloriam*) ſcripſit de geſtis S. Januarii; quæ eſt in unico Codice Langobardico Sanctorum Apoſtolorum; Neapoli apud Theatinos. II. Raynerius exiguus Neapolitanus item, qui Acta, & Tranſlationem Sanctorum martyrum Eutycheris, & Acutii, e Puteolis Neapolim, ſcripſit aliquanto poſt annum 770., quo facta eſt: Quæ deſcripta ſunt in Bibliotheca Sapientiæ Romanæ, in Bibliotheca Brancacia, & in præfato hic Archivo Theatinorum. III. Johannes diaconus Eccleſiæ S. Januarii ad diaconiam; Qui ſcripſit 9. ſeculo vitam S. Nicolai Epiſcopi; Methodium Patriarcham Cp. ad ſenſum interpretatus. Qui Chronicon Epiſcoporum Neapolitanorum, ab Aſprenate ad S. Athanaſium ſuo tempore, concinnavit. Qui Acta S. Euſtratii, & ſociorum martyrum; Et ea quadraginta martyrum Sebaſtenorum, e græco vertit, juſſu Athanaſii III. Epiſcopi Neapolitani, ſub initia decimi ſeculi. Chronicon in originali ſervatur in Vaticana Bibliotheca: alia in Archivo SS. Apoſtolorum hic, in Codice Langobardico. In propatulo iſta ſunt: Quorum tamen omnium nemo meminit, neque exterus, neque civis, uſque ad annum 1600. Qui factum iſtud eſt, & unde Sacrum tantum ſilentium per octo, vel novem ſecula? Et ſi ita factum in latinis Scripturis; quid putandum de Græcis, (qualia ſunt noſtra Acta) quæ Græca ſemper, fato quodam, potius bibita ſunt, quam lecta? Porro ei, qui ſolverit nodum iſtum, ſolvam ego noſtrum, cur de noſtris Actis; ſive Emmanuelis a ſexto ſeculo; ſive Exſcriptoris alius anonymi, ejus ab VIII., ſive demum Gregorii, ſeculi XV. meminerit, item nemo, ſive exterus, ſive civis. Nonne autem ipſiuſmet Januarii Acta Græca, in uno, & ſolitario Codice Vaticano, de quibus nemo hucuſque cogitaverat; ad preces Eminentiſſimi Urſini (qui poſtmodum, Pontifex Maximus *Benedictus XIII.* evaſit) nactus eſt, anno 1709., ut P. Hieronymus a S. Anna Excalceatus Carmelita, in ejus Vita S. Januarii præfatus eſt? Si Deus hoc faxit, ut reſeratis Archivis, quatuor hic antiquiſsimis Monialium, & alibi aliis per Europam, Anecdota omnia publicentur: Sane tunc plurima, quæ innominata nunc credimus, nominata à latentibus adhuc autoribus Veteribus offendemus: novaque penitus legemus, qui credimur antiquorum legiſſe omnia; Schedulas, etiam folia unica, & oppellas. Quibus ego non illud velim, ut nunquam de re aliqua judicemus: Sed ne præcipites, de omnibus, & in acie gladii judicemus; utque mediam viam teneamus (& per duo ſecula, typos contineamus) non omnia antiquorum MS. opera facta fuiſſe, ut lucem nacta ſint, & in lucem exciderentur.

Sed jam objectionibus omnibus, & difficultatibus circa Codicem ſatisfecimus. Vobis Cll. VV. ego iſta referre debui, qui non tam ex tricis iſtis, & mendicabulis, quam ex rebus ipſis in primis, quas narrant, antiquos Codices probandos reſpuendoſque rectiſſime judicatis. Miſelli enim eſt ingenii, cum ſe rebus devictum novit; ſine probationibus, *Inſtrumentum* dicere, *falſum eſt*. Quod Julianus etiam ille Apoſtata damnabat. *Ecquis*, inquiens, *innocens erit, ſi accuſaſſe ſufficit?* Marcellin. Hiſtor. lib. 22. Clariſſimi equidem aliquot Adverſarii, multa duodecim primis capitibus objecere; que inferius vobis dabo; Sed veſtrum erit videre, num idonea, & validia, an mecum ſentientes, vana, & debilia, ad unum ſint. Atque interea, dum de præcedentibus, & ſubſequentibus juſtiſſimum, & eruditum veſtrum peto, expectoque judicium; meum reor eſſe aperire viris doctiſſimis, quid de his Actis ego ſentiam, & num genuina credam, & ſine labe. Acta iſta, (poſtquam ob motas turbas, omnia ad rigoroſiſſimum examen iterum revocavi) licet ſemel, & iterum reſcripta, VIII., & XV. ſeculo; digna tamen judicio, quæ homini quinti labentis ſeculi adjudicentur. Hæc mea ſententia adhuc eſt: In quam Catholici æquiores, & harum rerum periti, ni fallor, futuram ſpero, ut concedant. VALETE VIRI CLARISSIMI; ET APATHISTÆ.

MAN-

MANTISSA

IN QUASDAM ALIAS RECENTIORUM SUSPICIONES, IN HAEC ACTA GRAECA, ET LATINA.

PROEMIUM.

FErunt, nonnullos suspicari fictum nomen Emmanuelis, nec usquam auditum, istud Autoris nomen. Fictum etiam virum illum, Phronymum ex genere S. Januarii. In Latinis Actis rejicitur, Timotheus, ut Campaniæ Consularis, & persecutor. Miracula deridentur; & martyrium Sancti, & Sociorum tantum admittitur. Admittitur solum ex Actis aliquibus Latinis *Dracontius* tunc Consularis Campaniæ. Ita respuuntur Acta vera antiquissima Januarii, & blaterantur miracula Januarii, ut efficta omnia octavo seculo. Ita apage dictum Actis omnibus, tum Neapolitanis, tum Beneventanis, quæ sunt eadem, & in his Ecclesiis, usque ad Breviarii Romani confectionem sunt recitata: Injuria utrique Ecclesiæ, atrocissima, tamquam consenserint, in tam turpem effictionem. Initium objectionum ejusmodi, sumo ab Emmanuele.

PRO EMMANUELIS NOMINE.

CAP. I.

EMmanuel idem est Hebraicè, ac *Nobiscum Deus* latinè. *Manue* namque, & *El*, valent *Nobiscum est Deus*. Ergo *Emmanuel*, idem valet, ac *Nobiscum est*, ac requiescit *Deus*. Nomen hoc est Christi in prophetis: Nemini alii unquam datum in Scriptura, ut Isaiæ capit. 7. vers. 14. sic Matthæi cap. 1. vers. 24. *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem*: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium; & vocabitur nomen ejus, *Emmanuel*: Quod est interpretatum *Nobiscum Deus*.

Post Christum huc usque, nomen hoc, datum reperitur, passim Christianis, Martyribus, & Confessoribus. In Menologio die 20. & 26. Martii celebratur de Sancto Martyre *Emmanuele*, cum Sancto Quadrato, & Theodosio: qui sub Idololatris (ut suspicor) tertio seculo; omnes gladio sunt perempti.

Idem Menologium die 17. Junii agit de Martyribus Sanctis, *Manuele*; *Esabele*, & *Ismaele* fratribus anno 363. circiter; sub Juliano apostata, Monachis Persis, Nicomediæ, ad murum Thraciæ, dictum Constantini; Qui pro pace a Persarum Rege missi fuerant.

Emmanuelis Monachi, & Fundatoris Monasterii, ex ejus nomine postea nuncupati, meminit S. Leo Papa I. in Epistola 47. quam scripsit an. 449. directa *Fausto, Martino, Petro, Æliæ, & Emmanueli Presbyteris, & Abbatibus Constantinopoli, qui vivunt, semper uniti Sancto Flaviano suo Pastori, & Patriarchæ, etiam si oportuerit, effusione sui sanguinis, pro Catholica Fide*. Hunc Emmanuelem Presbyterum, & Abbatem fuisse, tunc Fundatorem illius Monasterii, recognoscit etiam Cl. Tillemontius tom. 15. 500. meæ Venetæ editionis. Hinc in generali Concilio Chalcedonensi tom. 4. Conciliorum Col. 2023. post subscriptiones Episcoporum, quarto loco subscribit: *Manuelius Presbyter; & Archimandrita, subscripsi in depositione Eutychis*. Parco Græcis. Harduinus dicit id factum in Concilio Constantinopolitano anno 448., & id est verum; & hinc insertum in Concilio Chalcedonensi anno 451. Reapse ipsius *Emmanuelis* Fundatoris, ut *Sanctæ memoriæ* fit mentio in Concilio Constantinopolitano, sub Menna Patriarcha anno 536. Act. 4. & 5. mensibus Maji, & Junii pag. 54. & 82. editionis Binianæ: *Joannes Presbyter, & Archimandrito Monasterii, sanctæ memoriæ Manuelis subscripsi*. Et hinc *Tryphon Dei misecordia Presbyter, & Subhegumenus* (idest *Prior*) *Monasterii Manuelis, supplicavi, & subscripsi*. Et actione 5. pag. 63. idem ita subscribit: *Tryphon Dei misericordia Presbyter Monasterii Manuelis subscripsi, & porrexi*.

In Concilio Hierosolymitano sub Petro Patriarcha, Octobri, anni 535. hæc est subscriptio; Episcopi Emmanuelis Bithyniensis. *Ego Manuelius Episcopus*

Michaele Monacho scriptam. Καὶ πᾶσι μὲν ἤδη, &c.: Qui, e Bibliotheca Sfortiana, Cod. Græcus n. 140., Romæ ereptus, (quo casu nescio) apud Agonale Forum sub tabula væniit. Emptus in Francisci Mariæ Card. Brancacii, nunc publica Bibliotheca Neapoli, conservatur. Tres Codices in folio Langobardici, qui *vitas variorum Sanctorum* narrant; seculo elapso erant apud *Cæsarem Engenium nostrum; ubi est, Q. Julii Hilarionis*, (qui quarto seculo sistitur a Dupinio) opus *De duratione mundi*. Quis unquam hoc opus vidit, aut memoravit, usque ad Pithæum; qui ipsum primus edidit 16. seculo, & modo in Bibliotheca Patrum insertus visitur? Apud Juris Consultum Bartholomæum Chioccarellum diu servati, alii duo horum Codicum, an. circiter 1640. in Archivum Neapoli SS. Apostolorum invecti; servati sunt. Quid Archivum privatis Codicibus, autoritatis addidit? an accepit? aut quæ illi autoritas, ni Codices privati hinc inde conquisiti, in eo servarentur? Porro quæ autoritas loco, si nulli ibi Codices tales? ut ruinosissimus ille in papyro rudi, *veterrimo*, in quo *Quæstiones aliquot Photii* habentur (nunc ad Imperatoriam Bibliothecam directus est) cujus exemplar nacti nos, ubi primum licebit, Græcolatine publicabimus. Nos remur illum Codicem singularem, & haud injuria metuimus, ne itidem argumento a singularitate appetamur ab imperitis. Consulto sexcenta exempla alia prætermittimus, quibus Codices privati in publica Tabularia, & fortuito, in privatas manus casu, vel arte pervenerunt, autoritate sua semper perfruuntur. Codex Vaticanus membranaceus; qui *Acta Græca S. Januarii* habet, vel ipse spectasse legitur ad Monasterium *Cryptæ Ferratæ*, (ut ibi Græce notatur) forte an vero, si locus opinandi conjecturandique detur, in nostro Codice; is etiam e Bibliotheca aliqua celebri, in Jo: Baptistæ Massacii manus venit. Sane eo quod Gregorius exscriptor fuit Basilianæ Familiæ, & Monachus Provinciæ Romanæ, quod annos non Regum nostrorum, sed Callisti tertii Papæ adscribat; omnino credibile est, ad Bibliothecam eorum Cryptæ Ferratæ Codicem nostrum primo pertinuisse. Qua multoties expilata, item in Barberinianam Commendatarii tum quarta ex parte transiisse; eaque in translatione librorum, multis abhinc annis facta, per fures bajulos dilapidata ad quingentos Codices (sic Montfauconius *Diarii Italici* fol. 220.) potuit, ut alii multi, væniisse Codex noster, & in manus Massacii pervenisse: & inde in eas Eminentissimi *Hieronymi Casanatæ*, nostri Neapolitani, gloriosæ memoriæ; cui cum Massacio maxima (teste ibi P. Hilarione) intercedebat necessitudo; quod Januarii Neapolitani Patroni, gesta contineret? Mortuus est autem hic Eminentiss. an. 1680. circ., antequam forte Codicem (ad expendenda cogitans multa) Massacio; ut versionem adornaret, traderet. Interim illud moneo, ab anno 1230. circiter (usque ad annum 1615.) sub Gregorio IX., qui eis eripuit Ecclesiam, & Monasterium S. Demetrii (ut Engenius noster in fol. 255. *Neapolis Sacræ* monet) Basilianam Familiam ab eo Neapolis loco, abfuisse. Quod dictum volo, ut apertius a Romanæ Monacho Provinciæ Gregorio; descriptum videas: nostramque conjecturam de Ferratensi Monasterio & Bibliotheca, ludicram non existimes, sed probabilem.

Admittet opinor nunc nostrum Codicem adversarius, quamvis, ex publica Bibliotheca non eum dedimus. Ast ei, *quod de eo nemo meminit*, hæret aqua. Cui *tertiæ oppositioni*; sic occurrimus: Sæpe fatus Codex Tertulliani *ad Nationes*, quem ex voto S. Agobardi Episcopi Lugdunensis ad S. Stephani Altare oblatum legimus; ab uno nemine, usque ad Jacobum Gothofredum, qui eum invenit, ediditque, memoratus est. Is dono dedit Regiæ illi Bibliothecæ; Cui applaudens Nicolaus Rigaltius an. 1641. scribit: *Eximium sane munus*; *Quum alterum hujusce operis Tertulliani exemplar*; *usquam reperiri sit inauditum*. Etiam nono seculo, quo non latebat, (teste Agobardi donatione) ejus nemo meminit. Quod opus quanti sit faciendum, ex eo liquet; quod rude illud Tertulliani prototypon credatur, quo perpolito ab eodem suo genitore, *Apologeticus adversus gentes* est appellatus,

D 2 Ope-

scopus Bithyniensis, diffinivi, & subscripsi.

In octava Synodo Generali, Nicæna secunda anni 787. Art. 1. fol. 509. editionis Binianæ, inter Episcopos, qui subscribunt, legitur, *Manuel Episcopus Hadrianopoleos* Thraciæ. Et post Art. 7. ita bis subscribit: *Emmanuel indignus Episcopus Hadrianopoleos subscripsi*, & semel alibi, addit: *Thraciæ* pag. 813. Sub Leone Armeno Imperatore Constantinopolitano, nono seculo; ut Christianus a Dizingo Principe Bulgarorum, fit Martyr cum aliis multis, *Emmanuel Episcopus* (in Thracia, vel Æmimonte) ita in Menologio die 22. Januarii. In distlcho ita legitur.

Gladio Manuel in partes dividitur duas,
Colens indivisas Christi substantias duas.

Mitto alios nomine Emmanueles, intermedios, & posteriores. Inter hos, quid mirum nostrum Emmanuelem Monachum inveniri anno 500. Scriptorem Actorum S. Januarli, & sociorum Neapoli in Monasterio Gazarensi, sito in Plagia Neapolitana! Quod modo est S. Leonardi dictum, & prophanatum. Sane vero, id quod probat & confirmat maxime, & ipse Emmanuel in suo Proœmio ad ipsa Acta, ubi se credere, & cum Catholica Ecclesia profitetur (contra Pelagianam Hæresim) & firmiter, & mordicus se tenere; nihil se posse in quacumque re, *nisi gratia præveniente, & concomitante*: dum ita dicit conversus Deo:

Tu sub tanto negotio, insudanti mihi, benignitate tua succurre Deus: nihil enim, nisi te incipiente, teque perficiente, *agere, vel intentare me posse, compertum habeo.*

Ita nempe æqualem se prodit noster Emmanuel, Pelagii, & Cœlestii hæresi: & fidelem, Ecclesiæ Catholicæ auditorem, cum Beato Augustino: qui eos invictissime profligavit, seculo illo quinto. Quod ego tantummodo adverti, anno 1756.; nunquam vero antea ullo tempore.

DE NOMINE PHRONYMI.

C A P. II.

Venio modo ad alia, quæ ab Adversariis opponi possunt ad nomen illud *Phronimi*; quod Criticis nostris, in 31.& ultimo Actorum Capite Emmanuelis, effictum videri potest. Nomen erat hoc usitatum. Incipio a *Phronimo* illo, de quo fit mentio apud Ammianum Marcellinum tom. 2. Romanæ Historiæ, sub finem lib. 26. Is sub Valente Imperatore, & anno 365. *Præfectus fuit Urbi Constanopoli*: licet apud Jansonium, nec in certis Præfectis Urbi Romæ vel Cpoli, invenlatur (a pagina 477. ad 512. quæ solita est incuria Collectorum) En verba Ammiani (fol. 451. edit. Francofurtianæ anni 1588. cum Indice ampiissimo Friderici Sylburgii) *Confestim Nebridius in locum Sallustii, Præfectus Prætorio, factione Petronii recens promotus, & Cæsarius Cpolitanæ Urbi Præfectus in vincula compinguntur, & jubentur civitatem curare solita potestate... PHRONEMIUS: Esseque Magister Officiorum Euphrasius: ambo Galli; Institutis bonarum artium spectatissimi.* Hinc pag. 453. sub calcem; de ipsorum funesto exitu locutus, scribit: *Euphrasius vero, itemque Phronemius, missi ad occiduas partes arbitrio objecti sunt Valentiniani: & absoluto Euphrasio; PHRONEMIUS CHERSONESUM DEPORTATUS; inclementius in eodem punitur negotio. Ea re quod Divo Juliano fuit acceptus.* Ubi Sylburgius in Indice ait: *PHRONIMIUS PRÆFECT. CPOLI, DEPORTATUR.*

Num ante, an post hunc *Phronimum*, Noster fuerit is Phronimus, de quo est quæstio, ignoramus, ut nobili cive Neapolitano, e genere Januarii, qui vixerit anno 310., vel anno 500., quo *Codicem* ejus, Stephanus I. Episcopus Neapoleos, tradidisse sibi, dicit Emmanuel noster, Actorum suorum Cap. 31.. Do ejus verba: *Atque hæc sunt, venerabilis Pater, & Episcope noster Stephane, quæ humilis EGO EMMANUEL vestri Gazarensis Monasterii Monachus; ex plurimis defloravi, de tanto Martyre, Patreque nostro, EX MEMBRANACEO, JANUARIORUM PHRONIMI CODICE; QUEM*

ν'κς ἀνηρήθη ὑπατικὸς ὁ Αὖλος Τιμόθεος Σεβηριανὸς, &c. *DRACONTIUS interea MENSE AUGUSTO, OFFICIO FUNGITUR, ET A. TIMOTHEUS SEVERIANUS, Campaniæ Consularis renuntiatur.*

Ambitiosa sat scimus,& phalerata, magna sunt comitiva, nomina Romani Imperii, in seculo sequiori : & inde orta magna caterva nominum propriorum. Ex.Gr. Jansonius in Fast s Consularibus, dum refert Præfectos Urbi sub incertis Consulibus, fol. 509. istos habet:

Amm. Manius Cæsonius Nicomachus Anicius Paulinus. (Et postea:

M. Moecius Memmius Furius Balburius Cæcilianus Placidus.

Nempe hic *septem NOMINA*, *ibi sex*, homini uni soli: Quod ita seculum delirabat. Sobrietas est equidem in nostris *Dracontio*, & *Timotheo*: Verum in ipsis, præter *prænomina CNÆI*, & *AULI*,nullum eorum Gentilitium nomen apparet. *Ex consuetudine* forsan, *solum* sic nuncupatis.

Aurelius Macrobius Ambrosius Theodosius V. Cos. & Inlustris. Obiter dictum puta; in nominibus *Macrobii* quoque: qui 4 & 5. seculo floruit.

Verum enim vero *Gens Labiena Plebeja fuit. Ex ea fuit* (inquit Pitiscus) *TITUS LABIENUS TRIBUNUS PLEBIS : Qui C. Rabirium, a Cæsare subornatus, perduellionis accusavit : quod ejus Patruus Q. Labienus cum Saturnino occisus fuerat. Cicero pro Rabirio c. 7. Ursinus de Familiis Romanis.* Tu vide Glandorpium etiam in *Onomastico*. Constat autem, ex argumento Aldi Manutii ad hanc Orationem Ciceronis pro Rabirio,*T.ATTIUM* Labienum, dictum fuisse hunc Tribunum plebis: ac proinde *Attiam* Gentem fuisse, ex qua ortus est *Labienus*: & hinc ex eo etiam fortasse noster hic *Cn.Labienus*,qui *Consularis Campaniæ* fuit: Eique forsan, ut ille infensus; quod *Apuli*, *& Campani antiqui C. Rabirio* adeo faverint.*Cum tanto studio* C.Rabirius *totius APULIÆ,singulari voluntate CAMPANIÆ vicinitatis ornatus.*Verba sunt Ciceronis in dicta Oratione 18.

Ut autem Labieno huic, libertorum suorum unus,supposita pro Patrono cervice sua, servarit vitam; vide apud Macrobium Saturnaliorum suorum lib. II. Cap. XI. num. 155.fol.142. Is floruit sub Honorio & Theodosio Impp.& hæc sumpsit ex Appiano Alex. Bell.Civil. lib.4. A quo, sis, hujus gesta alia Labieni, habes in Mithridatico.num.155.& 156.

E Quod

* Platonis discipulus fuit Timotheus Cononis filius, qui post Patrem, Atheniensium Classium in Chersonesum, & Lacedæmones, Prætor fuit: ut constat ex Xenophonte suæ Historiæ lib.5., & 6., & ex Æliani Varia Hist.tom.2.fol.126.& 127. Demosthenis in Timotheum ipsum, tom. 3. pag. 156. orationem 21. habuit, pro patre suo Demosthene, cui ille auri multi erat debitor. Μηδενὶ ὑμῶν *Nemini vestrum, incredibile sit, Judices, si Timotheus debitor auri multi patri meo* est, &c. Ità apud Paulum Aldi filium, anno 1554.

Isocrates huic Timotheo scribit (fol.183.184.) suam epistolam quæ sic incipit.

Ἰσοκράτης τῷ Τιμοθέῳ χαίρειν.

Περὶ μὲν τῆς οἰκειότητος τῆς ὑπαρχούσης ἡμῖν πρὸς ἀλλήλους, &c.

Isocrates Timotheo salutem dicit.

De intima amicitia, quæ inter nos intercedit. &c.

Athenæus lib.13. Dipnosophistarum pag.577.de nostri Timothei Matre, Thracia genere,loquitur, & de responso Timothei, qui eum irrideretur, quod eum Mater ejusmodi genuisset; Illi se gratiam habere dixit, quod per eam ipse esset Cononis filius. Idem Autor fol. 332. de eodem patre & filio loquitur, *& quod Conon in Cypro*, Timotheus in Lesbo exulare coacti sunt.

Demetrium Phalereum, in familia Timothei, & Cononis Vernam fuisse ferunt; apud Ælianum de Varia historia lib.12.cap.43., In cujus libro cap. 16. fit comparatio ejus, & Demetrii, Ducum; uter præstantior fuit: Demetrius Poliorcetes, an Timotheus? & infit Ælianus, quod Demetrius per vim, & fraudem Civitates capiebat: Timotheus vero ratione, & suasione.

Timothei Milesii Poetæ versus sunt duo,lib.7.cap. 50.apud Pausaniam, e *Persis*, & alii duo apud Macrobium lib.7. c.16.

S.Clemens Alexandrinus Strom.lib.3. fol.308.de Timotheo Milesio loquitur Citharedo, & lib. 7. fol.306.de Timotheo Pergameno in libro *de Magnitudine animi Philosophorum*.

Athenæus libro 13.cap.2. fol. 565. ait: *Chrysippus libro* de Honesto & voluptate : *Alexander temporibus radendæ barbæ consuetudinem inolevisse, avoque priore, hoc fuisse inusitatum; cum tibi consamosus illa Timotheus, prolixa barba tibias inflaret* : Et Athenis observatum sit, non admodum vetustum esse, illum, cui primo abrasa est, ideo κόρσην (id est *abrasum*) fuisse cognominatum. (*derasus, depilis*. De Musica Timothæi latè loquitur Hermogenes in suo *de Ideis* libro, apud Casaubonum libr.14.Athenæi cap.5. Ὁ Τιμόθεος, αὐλοῦντος ἐκείνου πρὸς ὀργὴν καὶ ὅπλα τὸν Ἀλέξανδρον. *Timotheus suis tibiis ad iram, & ad arma movebat Alexandrum.* Idem Milesius a suis civibus accusatur, quod veterem musicam, novis suis modis, corruperit : apud eundem Athenæum lib.14.cap.5.Mitto alios Timotheos; Mitto Martyres; Sanctos, Episcopos, & Hæreticos.&c.

Quod vero ad *Timotheum* ſpectat;præter ejus nomen proprium, de ejus Gente habemus nihil:Sed cum ultimum ejus nomen habeatur *Severianus*; ex hoc indice explorandum eſt, num aliunde eruere ejus Gentis poſſimus nomen.

M. Aurelius M. F. severianus. (a) Romanus Conſul eſt, anno incerto, apud Janſonium. (b)

(*Julius Pomponius Pudens Severianus* Conſul eſt item incerto anno (c).

Sentius Augurinus, *Conſul* Romanus eſt cum *Arrio Severiano* II., anno Chriſti 132. ſub Imperatore Hadriano: nam primum Conſul hic *Arrius Severianus*, fuit ſuffectus, cum *T. Aufidio Frontone*, *ex Kalendis Martii anno Chriſti* 129. ut videre eſt apud Janſonium (d).

M. Apidius Timotheus Flaviæ Diogenianæ cojugi ſuæ, monumentum ponit Romæ, in Inſcriptione; quam ex antiqui Mazochii Schedis, apud Gruterum habes (e).

Ex his certis,& incertis Conſulibus, ſeligere nequeo, num ex eorum *Gentibus Arria*, *Aurelia*, *Julia*, *Apidia* (f), *aliave*, *Gens* noſtri Timothei ſumi poſſit. In incerto linquentes ergn hæc omnia; cum *Severianos Conſules* habeamus, & *Severianus* ſit noſter Timotheus Campaniæ Conſularis; flagitamus ab Adverſariis, num cuiquam liceat, & nobis, ſuſpicari, utrum a Diocletiano, & Maximiano *ſub nomine ei* reſcribi aliquando potuit *Severiani*: uti & Dracontio reſcribi, ſub illo *tantum Labieni*: Quandoquidem, nec nos, nec Adverſarius potuimus nanciſci,*VEL SEMEL*, a dictis Principibus,ipſis Reſcriptum, veluti *Dracontio*, & *Timotheo*, ut *CAMPANIÆ CONSULARIBUS*. Tanta nempe, ſi Diis placet, affluentia eſt *Reſcriptorum*, *Autorum*, & *Inſcriptionum*, quæ nobis quotidie ſubminiſtratur. Atque hæc ſatis, ſuperque duco;pro his nominibus Lectori meo benevolo, & erudito: Cui dico, quod ſi nomen *Timothei*, Græcum eſt, & latinè, *Honor Dei* valet; *Dracontius* item eſt nomen Græcum; & valet *Dræcunculus*: Et *Dracontios* novimus & *Epiſcopos*, & *Sanctos*, & *Arianos*, & *Ethnicos*, *Monetæ Præpoſitos*, ſed occiſos.

EADEM QUAESTIO PROSEQUITUR.

C A P. VI.

SEd interea objiciet Adverſarius: Verum nomen *Timothei* in Actis Johannis Diaconi, & noni ſeculi, & deinceps tantummodo invenitur; non autem in aliis anterioribus: Nam Acta, quæ nunc habemus, ſuccedanea ſunt, Actuum veriorum, quæ octavo ſeculo falſarii recuderunt.Hic autem mihi liceat reſpondere: Ergo falſaria fuit (ex icto & condicto fœdere) octavo ſeculo Neapolitana Eccleſia, Eccleſia Beneventana, Eccleſia Capuana, Eccleſia Puteolana, & Salernitana, quæ eatenus Sacroſanctum hoc Depoſitum religioſiſſime Sibi, & Poſteris conſervarant? ut ſuis Fictioonibus Chriſtianum Populum deciperent, & (morioni veluti) ſua ſomnia infercirent? Fœdum facinus, & nullo piaculo expiandum. Acta enim iſtorum Martyrum a quarto ſeculo illibata habemus, & a noſtris Eccleſiis cuſtodita. Nam a quartn ſeculo, per ſcriptam traditinnem,noſtræ Eccleſiæ ſic credebant, & recitabant: quouſque manus impia, & temeraria octavo tandem ſeculo ea fidentiſſime temeravit.Qua in re quærerem ab Adverſario, Num Autores tanti ſceleris opinetur,S.Julianum,vel S.Laurentium tunc Epiſcopos noſtre Urbis; an Stephanum tunc item Epiſcopum noſtrum, & Ducem noſtræ Reipublicæ, & Erectorem Eccleſiæ Stephaniæ,anno circiter 770.Dicto autem S.Laurentio Epiſcopo, Sergius ſucceſſit Epiſcopus anno 717.: Huic anno 746.ſucceſsit Coſmas II., & huic defuncto ſucceſſit Calvus anno 748. Eique defuncto, anno 760. ſucceſsit Paulus II., quo obeunte anno 764., ei ſucceſsit Stephanus II. *Conſul & Dux*, *& I. Proteſebaſtus Ducatus Neapolitani*. Quæro modo,Quinam;& cui prædictorum,tantum ſcelus tribuat adverſarius adhuc flagitem?Nam ipſis inſciis, & inconſultis, iſtud fieri potuiſſe non eſt putandum. Sed inferius oſtendemus etiam octavo ſeculo in certis Autoribus, & Actis nomen Timothei, et Dra-

(a) *Ex Grut. Inſcript. pag.* 372.
(b) *Pag.* 510., *&* *pag.* 511.
(c) *Ex Grut.Iſcript.pag.*47.*n.*2.

(d) *Pag.* 135., 136.
(e) *Apud eundem Janſonium pag.*512.
(f) *Tom.* 2. *ejus Theſauri*, *pag.* 751. *num.*33.

& Dracontii personare: Nempe cum de quibusdam prolatis ab eo Actis (vel potius indigesta farragine Martyrii S. Sosii) sermo fiet: Nunc enim progrediemur ad alia, quæ ipse objecit, & quæ non credit, in Martyrio nostri Sancti.

MIRACULA EXPENDUNTUR.

CAP. VII.

TRanseo ad miracula; quæ in his Actis, omnia efficta, & falsa, & deridenda fore blaterat; sine aliqua remora, aut timore aliquo & fidentissime: ut qui Sanctos admittit, tantummodo decollatos. Tria sunt, vel quatuor, quæ prorsus respuit, & non credit: *Fornacem*: *Bestias*: *Timothei cæcitatem, & mox precibus Januarii restiturum*: *Nec fortasse* (præter carceres) *tormenta aliqua Januario irrogata; & aliquibus nulla prorsus*. Hæc superant ejus fidem.

Fidem divinam quidem merentur, Fornax, & pueri Babylonici: tum in ea, tum a Leonibus jussu Dei innoxii, evadentes. Divinam Fidem etiam *Bariesu cæcitas, & restitutio visus*, *AD TEMPUS*, a Paulo Apostolo, operata in Actibus Apostolicis S. Lucæ. Ast humanam Fidem: & reverentiam etiam merentur similia, quæ idem Deus, eadem potentia in Sanctis suis, in probatis Actis, & apud probatos autores, fuisse gesta, traduntur. Paulus ipse Apostolus ad Corinthios 1. cap. 15. vers. 32. de se testatur, se ad bestias expositum fuisse Ephesi: Et: *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi: quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Discipulus Johannis Apostoli, Ignatius, anno Christi 107. a Trajano damnatus ad bestias; in genuina sua Epistola ad Romanos (apud Hieronymum in Scriptoribus) & apud Ruinartium (in Sinceris, pag. 19.) testatur, *A MULTIS, SUO TEMPORE CHRISTIANIS, BESTIAS* abstinuisse. Ipse sibi contrarium deprecatur: *Utinam fruar bestiis mihi præparatis; quas, & opto promptas inveniri, quibus, & blandiar, ut cito me devorent: NON UT QUOSDAM VERITÆ, NON TETIGERUNT. Si autem illæ repugnantes noluerint, ego vi impellam*. Parco Græcis. Quantum, & quale testimonium veritatis? Apud Hieronymum ita vertitur. *Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas, & oro, mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & ad comedendum me*; ne *SICUT, ET ALIORUM MARTYRUM*, non audeant corpus meum attingere.

Quid quod *Cervical capitis Sancti martyris, & Episcopi Smyrnensis Polycarpi* (an. Christi 166., sub Marco Aurelio Imperatore) *flamma ambiente circumdari intuebatur. Expergefactus itaque Sanctissimus Senex: vix adhuc stratis gravia membra subtraxerat, ait his, qui cum eo, erant, ignibus se cremandum*. Ita Ecclesia Smyrnensis scribit in sua Epistola; apud Ruinartium cap. 5. fol. 32. In Græcis, quæ sunt fol. 39. ita legitur: *Triduo antequam comprehenderetur, visio ei oblata est; viditque Cervical suum, incendio conflagrare*. Tunc conversus ad comites suos, prophetans dixit: *Oportet me vivum comburi*. Mihi paria ista sunt iis, quæ de Sancti Diaconi Sossii, igneo globo, & de Januarii prædictione, Puteolana Ecclesia, Neapolitana, & Beneventana, fidelibus omnibus; a quarto seculo, testantur, in Actis Græcis, atque Latinis. Do verba illa, ut jacent: ad vulgatum Bedæ Martyrologium: tum ad 19., tum ad diem 23. Septembris. *Natalis S. Sossii Diaconi Mesenatæ Civitatis in Campania; qui cum esset annorum triginta . . . Cum quodam tempore Evangelium legeret in Ecclesia; præsente Episcopo Januario . . .* vidit subito idem Episcopus, *de capite ejus flammam exsurgere, quam nemo alius vidit: & pronuntiavit, eum martyrem futurum*. Et non post multos dies, idem Diaconus tentus, & in Carcerem missus est. Ad quem visitandum, cum *venisset Episcopus*; &c. Eadem verbotenus habet Usuardus in suo Martyrologio, eodem die. Et eadem, Ado Episcopus Viennensis, & Rabanus Monachus S. Galli, eadem die referunt: Quod ex iisdem actis ea, suo nono Christi seculo, excepissent: Hos ego edidi in mea Historia Januarii fol. 156. ad 170., & fol. 171. Habet eadem paraphrasticè Johannes noster Diaconus S. Januarii ad Diaconiam; qui vixit

medio nono feculo. Par pari, ex Actis S. Polycarpi, ad S. Sosium, ac Beatum martyrem Januarium, ego retuli. Quæ igitur incredibilitas in alterutro? Acta illa S. Sossii *SOLIUS* erant, & immitti in Acta S. Januarii, & sociorum, debuerunt: in quibus hæc tantummodo innuuntur. Nam alia omnia sunt occupata, in confessione, & martyrio ejus, & sociorum.

Verum quod ad Fornacem; & Bestias, in pueris Babylonicis, cum testimonio S. Ignatii martyris ea innixa videantur; e re duco, probatissima exempla aliorum martyrum afferamus. Eusebius Cæsariensis in Hist. lib. 3. cap. 26. testimonium, & ipse affert, Epistolæ S. Ignatii ad Romanos. Mitto ejusdem loca alia ejus operum, & summam aliquot, ex martyribus sub Diocletiano, suo passis tempore. Ita cap. 7. libri octavi, *In Phoenicia, qui expositi PARDIS, APRIS sylvestribus, TAURIS, URSIS, & ab ipsis OMNES ILLÆSOS, & INTACTOS relictos*, ipse testatus est. Totum caput in eo est, & totum exscribere deberemus, si singula afferremus. Mitto itaque illa erudito lectori meo: Mitto alia ex Eusebio.

Venio ad pretiosam Ruinartii Sincerorum Collectionem; non quod & Baronius ea non habeat, ad annum 299. hinc Rosveydus, & alii; sed, quod post Bigotium & Bollandistas; Græca habeamus a Ruinartio (fol. 444. num. 10.) qui totus in his occupatur, & longior est. Parco itaque a verbis, & summatim ex eo illa refero, curioso relinquens Græca, & alia observare. *In Amphiteatrum projecti*, jussu Maximi Tarachus, Probus, & Andronicus Christi Martyres, ille jussit *FERAS* multas laxari. & cum exissent *BESTIÆ NON TETIGERUNT CORPORA SANCTORUM*. Eo plus irritatus est Maximus, & jussit vocari Custodes ferarum, & jussit eos cædi: & cum multa comminatione, dixit eis; ut dimitterent *URSUM* pessimum, quem dicebant ipsa die tres homines occidisse. Et *URSUS* appropinquavit ad corpora Sanctorum, & nullum eorum contaminavit. Et cum transiisset, venit ad Sanctum Andronicum, & sedens lingebat vulnera ejus. Sanctus vero Andronicus posuit caput suum super Ursum, & instigabat eu[m] ut irasceretur, ac celerius redde[ret] spiritum. Ursus autem quasi mansue[tus] subito factus est. Ira repletus Ma[xi]mus, jussit ipsum Ursum occidi; & a[d] pedes Sancti Andronici fuit occisu[s]. Misit autem Terentianus, & exire ju[ssit] *LEÆNAM* (fol. 446. cod. nu. 10.) & c[um] exisset Leæna, timor, & tremor e[rat] inspectantibus, eo quod multum ru[gi]ret: & cum exisset vidit corpora Sa[n]ctorum, projecta; & veniens ad Beatu[m] Tarachum, deposuit se ante pedes eju[s] quasi eum adorans. Sanctus autem T[a]rachus trahebat manu eam ad se, [u]t irasceretur bestia, & celerius consuma[]retur. Leæna autem cum magna man[sue]tudine, secus Beatum Martyrem, si[]cut ovis jacebat. Impius autem Ma[]ximus iracundia plenus, jussit Leænar[m] provocari. Quæ provocata; cum ingen[]ti rugitu, posticum confregit: ut o[]mnis populus præ pavore clamaret: Ape[]riatur Leænæ. (cap. XI.) Tunc Maximu[s] ira repletus, vocavit ad se Terentianum Sacerdotem, & jussit gladiatore[s] introduci, ut Sanctos Dei Martyres gladio interficerent. Et statim præceptum Maximi impletum est, & consumpti sunt gladio. Anno primo persecutionis; die undecima Octobris, in Civitate Anazarbi in Cilicia sub Numeriano Maximo Præside, *Diocletiano*, & *Maximiano iterum Coss.* Baronius ad annum Christi 299. scripsit, hæc pertinere: Ruinartios, ultra annum 304. differenda non censet. Quid clarius, quid uberius, his aveat, noster Antagonista; qui est nostrorum Actuum criminator? Scilicet Januarii, & sociorum? Merito itaque Cl. Tillemontius, qui adeo laudat (tom. 5. pag. 28. ad 301.) Acta ista, auro contra non comparanda esse judicavit. Reliqua miracula loco suo, & quo tempore luculentius, adversariis, expendentur. Nam modo sonitus, et clngores, et nimius strepitus gaudii et lætitiæ Adversariorum; ad eos avocat aures, et mentem nostram.

FI-

FIDELISSIMUM EXEMPLUM
CHARTULÆ CUJUSDAM
BONONIENSIS,
ANNO MDCCLIV.
NEAPOLI PUBLICATÆ:
DATO ILLI NOMINE,
ACTORUM PRIMIGENIORUM,
ET ANTIQUISSIMORUM
S. JANUARII MARTYRIS
ET EPISCOPI.

C A P. VIII.

POst miracula expensa multa, quæ jam posuimus; dignum, & justum esse remur: antequam ita pariter evidenter, reliqua ostendamus; ut, & illa Adversariorum momenta, ne dum ad Libellam Criticam, sed esto, & ad Stateram Carbonariam, diligentius pensitemus.

Post duos Clarissimos Viros, qui hanc chartulam suo blando examini subjecerunt, his annis 1757.& 1758.;nempe P. Joan.Baptista Stiltingius Sacerdos, e Clarissima Societate Jesu;& D.AlexiusNicolaus Rossius (qui olim Regius Auditor fuit Catazarii in Provincia Calabriæ Ulterioris, cum summo plausu rectitudinis) Ille in Actis *S.Januarii*, & *Sociorum*: hic in Tomo 2.dissert.4. sui *Operis Antiquarii*: nervose quidem, sed libera sententia; Codicem, & narrata examinarunt: Ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum (præcipue Jurisconsulti, qui in criminalibus, fidiculis etiam inquirit) His tertius ego accedo, etsi Codicem mihi lustrari non licuerit (unde majora explorare, Critico oculo non potuerim) contentus sic e longinquo, a duobus Fratribus Cisterciensibus (divisim, & neutro de Collega conscio, ac utroque non Antiquario) hoc exemplum fidelissimè,curante celeberrimo Ludovico Antonio Muratorio, assequi ex Bibliotheca Monasterii S. Stephani protomartyris de Bononia, anno 1745., (postquam prodiit hæc Mephites)ad Collationem, cum iis, quæ cum magno festo, & tripudio, ab Adversariis, tamquam de Thesauro inexhausto; Reipublicæ Literariæ est proclamatum. Ut nempe de inventis miraculosis tandem aliquando, Primigeniis. & Atiquissimis Actis, Martyrii *S.Januarii*, & *Sociorum*. Nos authorem hujus Embammatis certè scimus: Licet Rossius tantum, eum fuisse suspicetur [pag.184.189. &c. tom.2. dicti sui Operis], Fratrem Carolum Florentinum, qui ea, se Cisterciensem rescripsisse dicit, anno 1554. [*ut parte 2. supra dicti Operis notat* Rossius. Sed præstet famæ parcere Autoris ejus [a], & interim hoc Cimelion jam afferre, sicut in duobus foliis,habuimus fidelissime, hic transcripta.

Passio S.Januarii (semper hic, & deinceps, non *Jannuarius*, sed unico n dicitur) *Episcopi, & Mart.*

TEmporibus Diocleciani Imperatoris, Consulatu Constantini Cæsaris quinquies & Maximiani Septies, erat persecutio Christianorum. In Ecclesia verò Mesinate civitatis erat Diaconus nomine Sossius, vir prudentiæ, sanctitate firmissimus, annorum circitèr triginta. Sicut ipse cuidam Episcopo, qui Dei gratia advenerat, in extasis revelare dignatus est, Ipso Episcopo asserente, quod venerabilis Sossius propter metum Paganorum non facilè in publicis locis. Hic notiam (sic dicit) *habuit Beatissimorum Officio veniebant in Ecclesia Civitatis,Episcopis diversis Civibus se occultè invicem visitabant. Sermo, vel Collectio divine legis erat in edificatione homines; quos Christo credere videbant. Et quia in ipsis locis, idest, cum ipsis frequens erat paganorum nobilium virorum magnam vatem, & tustamulus* (dicit ita) *usque in hodiernum diem, illam esse manifestatur. Ideo Sancti, ut diximus, difficilè in publico videbantur.*

Beato itaque Januario in MESINATE CIVITATE POSITO; *factum est, ut Beatus Sossius Diaconus in Ecclesia sua, Sancta Dei. Evangelia legeret; & subito de capite ejus flamma exurexit, quam nemo*

(a) Thaumasius ille Index,quam pessime plane vidit; qui olim hunc forulum sibi fecit, & in eum, suum absconditi furtum: Hinc subito in ipsum, tam rectà & facile suas immisit manus; inventurus indubie, quod ibi tacitus occultarat. Sed *incidit in foveam, quam fecit*. Rem etiam, sed non plene, doctissimus suboluit, *Criminalista* Rossius; ubi supra.

nemo alius vidit, nisi Beatus Januarius Episcopus. Qui ita cum (sic) *Martyrem futurum ex hoc signum* (sic) *quod viderat, prænuntiavit. Et congaudens osculatus est caput ejus; & gratias agens Deo, caput quod prò Domino Jesu Christo passurum est.*

Post non multos dies factum est, ut ad Dracontium Judicem Campaniæ eorum fama nunciaretur. Hoc audito Dracontius Judex; jussit eos (sic) *Secundum Imperiali præcepto* (sic) *inquiri, & ad se adduci. Inquirentes verò tenuerunt Beatum Sossium Diaconem; eo duxerunt ad Judicem: Dracontius enim Judex jussit eum ergastulo mancipari, quoad usque fieret ejus interrogatio. Retruso itaque Beato Sosio in ardua Custodia carceris, a militibus custodiebatur. Quod dum Beatus Januarius repperisset; quia Beatus Sossius Diaconus Carceri fuerat mancipatus; statim ad Carcerem cum Diacono suo Festo, & lectore suo desiderio, ut eum consolaretur, perrexit. Et ingressus ubi tenebatur in vinculis, dicebat: Quare sine causa tenetur homo Dei in carcere? Statim milites, qui custodiebantur* (sic) *carcerem; nunciaverunt* (ita) *Judici, dicentes: Ecce homines illi, de quibus nobis magnitudo vestra jusserat, ut inquirentes teneremus eos, ad carcerem venientes dicunt: Quare sine causa tenetur homo Dei in carcere? Mox ut hoc audivit Judex, jussit eos teneri, & ad se adduci. Qui dum inventi fuissent, ad Judicem venire non dubitaverunt. Et* (ita) *præsentati fuissent Judici, Dracontius Judex sedens pro tribunali, his verbis interrogavit Beatum Januarium Episcopum, dicens ei: Cujus religionis homo es? S. Januarius respondit: Christianus sum, & Episcopus. Judex dixit ei: Cujus civitatis? S. Januarius respondit: Beneventanæ Ecclesiæ. Judex dixit: Et hi, quid tui sunt? S. Januarius respondit: Unus Diaconus meus; & alter lector. Judex dixit: Et ipsi Christiani se manifestant? Sanctus Januarius respondit: Etiam: nàm si eos interroges, spero in Domino meo Jesu Christo, quod nec ipsi Christianos esse negant. Qui interrogati à Judice, dixerunt: Christiani sumus, & parati sumus mori propter Dei amorem. Tunc Judex ira repletus, Beato Januario Episcopo dixit:*

Accedite, & offerte Diis libamina, secu-
dum decretum Imperatoris, & absce.li
inlesi (sic). *Sanctus Januarius respo*
dit: Nos cotidiè[sic]*Omnipotenti Domi*
nostro Jesu Christo Sacrificium laudis off
rimus, non diis vestris vanis. Hoc aua
to Judex jussit, eos in carcerem recipi,
alia die arena (sic) *parari,* &(sic) *una cu*
S. Sossio ad ursos tradantur. Alia ve
die secundum jussu Judicis paratur are,
in Civitate Puteolanu. Adducuntur Sa
cti ad amphitheatrum: spectatur (sic) *J.*
dex ad exspectaculum (sic). *Sed ut Ju.*
moras inecteret[sic] *causa publica facient*
& ad amphitheacrũ tardius *properare* (ita
Veniens arenarius, Judici dixit: Ja
tardius *es*(sic)*Domine: audire eos modò n*
potes. Tunc Dracontius Judex jussit San
ctos de amphitheatrum (sic) *tolli,*
ad se duci. Quibus sedens prò tribuna
dictavit sententiam, dicens: Januariu
Episcopum, & Sossium, & Festum Diac
nis (ita) *& desiderinm lectorem, qui*
Christiani professi sunt, & decreta nostr
contempserunt; capite cædi jubemus. Q
dum ducerentur ad decollandum, quida
de plebe circumadstantibus, (sic) *adest,* [sic
Proconsulus (ita) *Puteolanæ Civitatis Ec*
lesiæ Diaconus, & duo laici Eutichis,
Acutius, hi tres dixerunt: Quid eni
mali, homines isti fecerunt, ut eos Jude
juberet occidi? Statim eoram verba ad Ju
dicem perlata sunt. Quod, cum J.
dex audisset, statim cum summa festina
tione, jussit eos teneri, & cum Sanct
Martyribus decollari. Qui cum omnes pa
riter ad martyrium ducerentur; quidam s
nis [sic] *pauperissimus sperans se benefici*
(ita)*Sanctorũ juvari; opposuit se Beato Ja*
nuario, provolutus pedibus ejus, roga
eum, ut aliquid de vestimentis ejus mere
retur accipere. Beatus verò Januarius di
xit seni illi: Post deposito meo Corpore, (ita
Orarium meum, de quo michi [ita] *ocul*
ligavero, scias te (ita) *me ipsum daturu*
esse.

Pater(ita) *quoque* S. Januarii in Civita
te Beneventana posita, *vidis in somn*
ante triduo(ita),*quod Januarius Episcop*
in aëra ad Celum volabac. Et cum
somno suo exscitaret(ita)*& interrogare*
quid vellet esse; subito nunciatum e
ei a quodam, quod filius Januarius E
piscopus, pro Dei amore vinculis[ita]*ten*
re-

retur. At illa perterrita, prosternens se in oratione, Sanctum reddidit Spiritum.

Interea Sancti, dum pervenissent ad locum, ubi decollandi erant, idest. ad Sulphurataria. S.Januarius flectens genua ad orationem suam, dicebat: Domine Deus Omnipotens in manus tuas commendo Spiritum meum; Et erigens se, accepto Orario suo, oculos sibi ligavit: flectens genua; manu sua(ita)cervici opposuit, & spiculatorem, ut feriret, rogavit. Spiculator autem cum magna virtute percutiens, digitum manus S.martyris Januarii, simul cum Caput(ita)abscidit. Similiter & omnes Sancti decollati sunt: martyrium exceperunt sempiternum. S.autem Januarius, post decollationem suam, apparuit seni illi evidenter, & dedit illi, Orarium, unde sibi oculos ligaverat, sicut promiserat deprecanti; Cuique dixit: Ecce quod tibi reddi debeam (ita) tolle sicut promisi tibi. Ille, accepto Orario cum summo honore abscondit in sinum suum. Spiculator autem, & alii de Officio videntes senem, irridebant ei, dicentes: Accepisti quod tibi promiserat ille, qui decollatus est? At ille dixit eis: Etiam: & ostendit eis Orarium; recognoverunt eum: admirati sunt. Christiani autem diversarum urbium custodiebant corpora Sanctorum, ut ea noctu raptim tollerent, & in Civitatibus suis sepelienda portarent. Et ceperunt occulte solliciti observare: & facta nocte, universis dormientibus, silenti ora(pro,silentio ora)noctis apparuit S.Januarius uni ex illis, qui parati erant corpus ejus tollere, & dicit ei: Frater, cum corpus meum tuleris (sic) & digito (sic)manus meæ in illo loco exilisse (sic) cognosce: Requirite eum, & pariter cũ corpus meum(sic) ponite: Et ita factum est, ut Sanctus ipse admonuit. Corpora autem Sanctorum jacuerunt ad Salfurataria (sic), ubi postea dignam Beati martyres Januarii Basilicam condiderunt. Noctu verò cum unaqueque plebs sollicite suos SUOS SIBI PATRONOS rapere festinarent; NEAPOLITANI B. JANUARIUM SIBI PATRONUM TOLLENTES, à Domino meruerunt; Quem primum quidem in loco, qui appellatur Martiano (sic) absconderunt: posteà verò quieto jam tempore, venerabilis Episcopus, unà cum plebe Dei Sancta, cum hymnis, & laudibus corpus ejus tollentes, juxtà Neapolim transtulerunt, & posuerunt in Basilica, ubi nunc requiescit. Qui præstante Domino nostro Jesu Christo, meritorum suorum beneficia innumerabiles (sic) præstare non desinet (ita) usque in hodiernum diem. Cujus dies natalis celebratur tertio decimo Kal.Octobris (ita).

Hic finis *Stabuli Augiæ* hujus (ut vel loquitur Adversarius), ita putidi. In fine autem Codicis, *non Numerati* (quasi in illa Bibliotheca Codices nulli sint numerati, nec in *Pluteo* aliquo) ita legitur:

Anno ab incarnatione Domini millesimo Centesimo(ita)*octuagesimo, Abbatiante Domino Landulfo Abbate discretissimo, Deo & hominibus diligendo, fama sparsim notissimo; anno videlicet Abbatiæ ejus XVIII.* Die scilicet Veneris, qui quarto die post festum S.Martini Episcopi *secutus est. Completus est in Monasterio Beatissimi Protomartyris Stephani de Civitate Bononiæ (quod vocatur Hierusalem) liber iste. &c.*

[Ex his notis temporis, evidenter patet, factum, *anno MCCLXXX.ut recte* dicit Codex Adversariorum: *Si tamen reliqua essent recta*].

Hæc verba sunt ejusdem manus, & characteris, ac ejus qui scripsit Codicem.

In eodem Codice S. Stephani, sequentia etiam continentur:

1. Petri, & Pauli Pasio ... *deest principium*, & desinit: *ubi præstantur beneficia orationum eorum asiduè fideliter poscentibus: ad laudem, & gloriam Domini nostri Jesu Christi: qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

2. *Pasiio Sanctorum Martyrum Procesi, & Martiniani.* Incipit: *Tempore, quo Simon magus erepuit intus; & impiisimus Nero tradidit beatisimos Apostolos Christi &c.*, & ita desinit: *sub die sexto nonas Julias via Aurelia: ubi præstantur beneficia eorum usque in hodiernum diem. Regnante Domino Sancto atque Salvatore nostro Jesu Christo: qui vivit &c.*

3. *Pasiio S.Felicitatis cum Septem filiis fais.* Incipit: *Temporibus Antonini Imperat. orta est Seditia Pontificum; & Felicitatis illustris fœmina &c.* desinit,

qui

qui prò Dei amore minas hominum, pœnas, & verbera contemnentes, Christi amici facti sunt in regno Cælorum: Qui cum Patre, & Spiritu-Sancto vivit, & regnat in fæcula fæculorum. Amen.

4. *Pasſio Sanctorum Martyr. Naboris, & Felicis.* Incipit: *Regnante impiiſſimo Maximiano Imper. in Civitate Mediolanenſium erat perſecutio ingens Chriſtianorum.* Et ita definit: *Paſſi ſunt Sancti martyres Nabor, & Felix quarto Iduum Juliarum ſub Maximiano Imperatore: Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.*

5. *Paſſio S. Margaritæ virginis, & mart.* Incipit ita: *Tranſibat Ulibrius Præfectus de Aſia in Antiachiam Civitatem &c.*, & definit: *memoriam beatiſſimæ eo Sanctæ Margaritæ facite, ut in ſuas præces memoriter* (ita) *vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cui eſt honor, & gloria, virtus, & poteſtas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.*

Hinc ſequuntur ſtatim S. Quirici, et Julictæ; S. Alexii, S. Rufilli, S. Praxedis, S. Maria Magdalenæ, S. Apollinaris, S. Jacobi, S. Chriſtophori, S. Simeonis manachi, SS. Nazarii & Celſi. S. Felicis Papæ, & martyris, S. Beatricis, SS. Abdon, et Sennon, hiſtoria S. Petri in vinculis, ſeptem Sanctorum Machabæorum, vita S. Euſebii Vercellenſis, vita S. Stephani Papæ; ET PLURIMORUM ALIORUM; QUINQUAGINTA SEPTEM, PRAETER SUPRADICTA.

PRIMA IN HANC CHARTULAM APPENDICULA.

A *Paſsione Ss. Petri, & Pauli* iſtum Bononienſem Codicē, incæpiſſe oportuit. Hinc initium hujus fabulæ, graviſſimè malè olentis: quod conſtat e ſolo aſpectu: In qua nempe ſunt, *Petrus, & Simon Magus, S. Alexius, S. Maria Magdalena, S. Chriſtophorus &c.* Et primo *Paſsio* S. Petri (acephala, ad averruncandas, ob eandem cauſam, ex hac *Paſsione*, fabulas apertiſsimas,) Ss. Petri, & Pauli. Verum enim vero, poſtea, quod ità placuit Phelo noſtro, hinc (ut, loco apto, idoneo, & cognitu difficillimo (& *κατὰ γυνάικω*) factum caput, & ibi adglutinatum Actis S. Januarii, & Sociorum. Meduſæ caput ei viſum eſt, nobis oppoſuiſſe, quod ſaxeos, Actorum verorum redderet defenſores. Verum ſaxeus ipſe illico factus eſt, qui non novit, ſuo ſe, in conſarcinando plaſmate; initium inde ſumpſiſſe, & pænè omnia ſubſeqoentia, a veteribus noſtris Actis. Rectiſsimè hinc quis dixerit in eum: *Infelix aſtutia, quæ proprium perimit genitorem.*



Neapolita is fuerit allectione; qui primum, & ante Petrum & Paulum, ſuo Januarjo dedit locum: Allectione, inquam, etſi inſame caſtrum Patrium, itidem poſſim dicere, ubi natus, & altus ſit; Sed *illud* mihi, *verſu dicere non eſt*: & nos alioqui; parcendum ducimus ejus famæ, quaſi et ipſe dicat:

Parce pias ſcelerare manus, jam parce ſepulto.

Atque hic *PSEUSTES* et oſor publiens veritatis (ſi Diis placet) appinxit Codici hoc principium. Sed.

Humana capit cervicem pictor equinam,

Jungere ſi velit, & varias inducere plumas,

Undique collatis membris; ut turpiter atrum,

Deſinat in piſcem, mulier formoſa ſuperne.

SPECTATUM ADMISSI, RISUM TENEATIS AMICI. Sed.

..... *Pictoribus, atque Poetis,*

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Scimus, & hanc veniam petimuſque, damnuſque viciſſim.

Sed non ut placidis coeant immitia: non ut

ſerpentes avibus geminentur; Tigribus Agni.

Inceptis gravibus plerumque, & magnæ profeſſis.

Purpureus, latè qui ſplendeat, unus & alter.

Adſuitur pannus.

Placuit ſic cum Horatio in arte Poetica loqui contra Iſagogem iſtius tabulæ quam plaſtes Tragicomibus, voluit, AI RISUM OMNIUM produxiſſe.